COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XV. PARS I.

LIPSIAE MDCCLVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, et Petr. Mortier, Londini apud
Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

UNIVERSITY OF OKLAHOMA
LIBRARY

I.

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för År. 1765. Vol. XXVI. med. Kongl. Academiens Tilstånd. Tryckte i Stockholm hos Direct. Lars Salvius på dess egen Kostnad. 1765. 8 mai. pl. 21. tab. aen. 11.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae anni 1765. Holmiae. Vol. XXVI.

Trimestre primum:

1) *De* HARRISONI *horologio maximo* ex calendario astronomico Parisino (*connoissance des mouvements coelestes*), 1765. excerpta eduntur F. MALLETI. ex quibus constat hoc quidem horologio longitudinis problema tantum non solutum esse et alias eius solutiones, inprimis, quae MAYERUS olim Gottingae professor ex theoria lunae in hunc vsum vertere voluit, omnes multo operosiores esse. p. 1. p. 16.

2) Aequationum quarundam differentialium primi et secundigradus integrationes edit DAN. MELANDER: ingenium in hac arte non vulgare ostendens. p. 17.

Hist. of Science

3) *Tropaeolum quinquelobum nouam eiut generis*
p. 32. *ſpeciem* deſcribit PET. IONAS BERGIUS. Ex ſemine inter alia exotica, miſſa, creuit, patria igitur ignota eſt. Frigus ſatis tolerat; nam in conclaui, qua hyeme grauiſſimo per plures dies calefactum non
p. 33. fuerat, tamen durauit. Nomen ipſi imponit Noſter *tropoeoli* (*quinquelobi*) *foliis petiolatis quinquelobis petalis dentatis.* Tota planta glabra, *radix* perennis fibroſa, *caules* bini ex vna radice, ſimplices, flaccidi, teretes, glaberrimi, ſuperne bifidi, vndique veſtiti ramis ac petiolis. *Rami* breuiſſimi e quauis axilla petioli ſubnutantes, foliiferi, tandem floriferi. *Petioli* alterni, longiſſimi, patentes, flexuoſi, quibus velut cirrhis ſuſtentacula planta amplectitur. *Folia* glauca lato-ouata, quinqueloba, margine vndique inflexo criſpo, quinqueneruoſo-venoſa, deflexa, ad baſin petiolo annexa. *Pedunculi* axillares ſolitarii, vniflori, floribus duplo longiores. CAL. Perianthium luteſcens, monophyllum, quinquefidum acutum, erecto-patulum, cornutum deciduum, laciniis ouato-lanceolatis, tribus ſuperioribus, latioribus, ſubplicatis, inflexis, baſi cornu recto, conico, longitudine calycis. COROLL. *Petala* quinque vnguiculata, lutea, erecto-patentia, ad diuiſuras calycis inſerta; duo ſuperiora minora, anguſtiora, cuneiformia, ſubintegerrima, calyce paulo longiora, ſubreuoluta, tria inferiora ouata, obtuſa, patentia, apice dentata, baſi ciliata, vnguibus linearibus longitudine calycis. STAM. *Filamenta* octo, ſubulata, erecto-inflexa, ſubaequalia calyce duplo breuiora. *Antherae* ſubrotundae, ſubquadrangulares quadriloculares, erectae, ſubpedicellatae. *Pollen* (oculo maxime armato viſum) pedunculatum: veſiculis, conum truncatum referentibus. PISTILL. *Germen* ſubrotundum trigonum. *Stylus ſimplex* longitudine ſtaminum. Stigma trifidum acutum. PERICARP.

Capſulae

Capſulae tres ouatae, rugoſae, ſublunatae, conniuentes, arcte cingentes ſemina. *Semen* vnicum in quauis capſula, eiuſdem formae, profunde rugoſum, tertia parte minus; quam tropaeoli maximi. Inter plantas congeneres ad ſolum tropaeolum peregrinum quodammodo accedit, a quo, petiolis in baſin foliorum inſertis, differt, petalorum etiam figura. Sapor et odor ſunt, qui tropaeoli maioris. Calix etiam ante florendi tempus adeo apertus, vt ſtamina poſſint animaduerti.

4) *Morbum*, qui *noma* a LINNAEO dicitur, et aduerſus eum *corticis Peruuiani vim* deſcribit GABRIEL LUND. M. D. A LINNAEO in gen. morbor. p. 25. definitur: vlcus, carnes integumentaque depaſcens, cicatricem inducens; infeſtus et ſaepiſſime lethalis eſt, inprimis infantibus tenuioris ſortis, qui in habitationibus, multitudine hominum repletis et paupertate foedis, aerem impurum reſpirant et victu, ſanitati parum conducente, vtuntur. Morbi quatuor ſtadia facit Noſter. Primo infantes moroſi ſunt, pigri, pallent, foetet halitus, nulla vermium indicia. Secundo, adſunt ardor, ſitis, diarrhoea, cibi appetitus nullus, diſtincte loqui non poſſunt, dormire nequeunt, eiulant. Tertio, macula quaedam nigro-coerulea, magnitudine capitis aciculae oritur in facie, hoc ſtadium breue eſt, poteſt tamen, vt etiam ipſe vidit, vſque ad ſextam diem produci. Quarto extenditur macula et circumiacentia occupat, accedunt ſymptomata, poſt explicanda. Tertio et quarto ſtadio plerumque nimis ſero medicina paratur. Corticem Peruuianum vero initio morbi feliciter adhibuit, quotidie praebendo corticis, in puluerem redacti, drachmas duas cum iulapio, cui immixtus erat ſpiritus vitrioli acidus. Hoc remedium per 6. dies adhibuit, apparuit quidem

p. 36. p. 37. p. 38. p. 40.

dem macula in collo ſub aure ſiniſtra et pauliſper ſe extendit, ſed, cum ſquama, vlcus tegens, alternis vicibus ſpiritu ſalis marini et ſpiritu vitrioli acido vngeretur, facile receſſit ſquama a partibus circumiacentibus ſanis et vulnus purum et apertum reliquit, quo parotis et muſculus ſterno-maſtoideus detegebantur, id conſueto chirurgis modo tractatum, quarta ſeptimana coaluit, cicatricem relinquens. Dum vulnus curabatur, per ſeptimanam
p. 41. adhuc corticis vſus continuatus eſt. Conſectaria ex obſeruationibus ſuis infert haec: morbum non ſemper gingiuas adgredi, lethum inferre, nulla, quae in oculos incurrat, partium nobiliorum laeſione, quoniam humoribus corruptis nocet. Ardorem et anxietatem comitari morbum, etſi pars, ab eo occupata, ſenſu careat; maculam nigram iam citius, iam tardius apparere, ei mox occurrendum eſſe; morbum inprimis ſuis ſtadiis ſatis iam poſſe agnoſci, contagio nullo inficere, niſi corpora aliis cauſſis iam ante ad recipiendum illum diſpoſita; aegros animi
p, 42. facultatibus ad mortem vſque pollere, cibum etiam vel breui ante mortem tempore appetere, inciſionem nullum auxilium ferre, vlcere tantillum extenſo, quoniam hac operatione humores maligni corrigi non poſſunt, denique corticem Peruuianum, acidis mineralibus iunctum, efficax remedium eſſe, praecipue ſi primis ſtadiis adhibentur. An decoctum eius, aut puluis externe adhibita, ſimul cum vſu interno poſſint etiam in vltimis ſtadiis prodeſſe, nondum tentauit. Ceterum adhibuit etiam ſpiritum vini mercurialem, decoctum ſaturatiſſimum radicis herbae Britannicae interne et externe, mixturam mellis roſarum, tincturae gummi myrrhae et ſpiritus vitrioli acidi externe; quae omnia contra morbum iam adultum nihil effecerunt, validiora forte futura ſub initium, niſi tunc febris et diarrhoea adſint. Diaetam

tam vero, aerem, motum, quamprimum animad- p. 43.
uertitur morbus, mutari conuenit, infantes vero, quos adgredi hunc morbum vidit, omnes fuerunt parentum pauperum, vt diuitibus nihil fere ab eo metuendum ſit, niſi cauſſis quibusdam, vt febre diuturna intermittente, praegreſſis; omnes vero, quos hoc morbo aegrotare vidit inter 2 et 10. aetatis annum conſtituti fuerunt. Illorum vero faciem aut os morbus aggreſſus eſt et aliquando labium inferius et mentum deſtruxit, aliquando labium ſuperius cum magna gingiuarum parte, collo etiam infeſtum, reliquis corporis partibus parcens. Secundum ſtadium interdum euaneſcit, vt tertium primo continuum ſit. Cadauer quidem ipſe nullum aperuit, ſed PETR. VNGE M. D. Medicus Prouincial. retulit, in eo, quod diſſecuit, inteſtina, nullo modo laeſa, ſe vidiſſe.

5) *Tectorum varia genera, quae in aedificiis ru-* p. 44.
ſticis in dynaſtia Calmarienſi adhibentur, examinat ADOLPHUS MODEER. Illa ex ſtramine, ceſpite, aſſeribus, corticibus arborum varie conſtruuntur, impenſas ſingulorum computat et hinc, quae aliis praeferenda ſint, definit.

6) *Locorum quorundam, Vraniburgum circum-* p. 58.
iacentium ſitum geographicum edit NIC. SCHENMARK.

7) *De balneorum, Finnis vſitatorum, vtilitate et* p. 69.
damnis diſſerit ANTON. ROLANDSOM MARTIN Med. Candidat. Calefiunt fornacibus, pleraque fumariis carent, fumo circumuagante, donec per portam aut aperturas aeri libero admittendo exeat. Sicca, igne calefiunt, madida replentur vaporibus aquae in fornacem calentem effuſae aut alia per

balneum diſperſae. In ſiccis thermometrum Suecicum ad gradum 60. 75. ſupra terminum glaciei adſcendit, maiorem calorem non ferunt, qui balneis
p. 71. vtuntur. Eo calore nil madet. Funis, item lorum coriaceum longitudinis 18. digitorum calore graduum 62. tertia digiti parte breuiora euaſerunt. In madidis balneis calor gradus 48. aut 50. non ſuperat, omnia, quae illa intrant, madent, lorum et funis longiora euaſere. Fumum occaſionem dare trichiaſi, oculorum morbo, illis in regionibus vulga-
p. 72. ri, ſuſpicatur Noſter. Calorem manus et axillarum, qui naturalem 37. gradus non ſuperat, reperiit gradum 38. 39. in balneo calente gradibus 62. Cum diu moraretur in balneo graduum 50. manus et axillarum calor ad 40. gr. adſcendit, iuuenibus 18. et 25. annorum ad 42., infantes duarum ſeptimanarum, balneis, ad 15. gradus calentibus, ſub initium inferri vidit, poſt calidioribus, eorum corpus gradibus 38. caluit. Pulſus arteriae in ſtatu naturali numerat Noſter 70. 75. ſingulis minutis primis, in balneis 115. 130. numerauit. Viro 60. annorum,
p. 73. numerus pulſuum ad 120. auctus eſt, et animi deliquium ſubſequutum. Puero 11. annorum pulſus in ſtatu naturali fuere numero 80 - 90. in balneo 140 - 150. Infantum tenerorum pulſus numerari non potuerunt; ſed 150. aut 160. vicibus minuto primo reſpirarunt. Tacuerunt eo in calore velut ſemimortui et dormiuere, mox vero rurſus ad ſe ipſos redierunt. Lauantur praeterea etiam infantes bis quotidie aeſtate, ſemel hyeme, vnde videntur Noſtro obſtructiones naſci, quibus infantes multi pereunt. Illo vero balneo febrim excitari in propatulo eſt et aliis ſignis confirmatur, carne rubente et inflammata, ſiti, ſaliua ſpumeſcente, deiectione virium, ſudore. Tranſpirationem iudicat optime ſuccedere, balneo 50. gradibus calente; tunc cor-

pus

pus, velut oleo, illitum apparet et folia penicilli illius, p. 74.
quo corpus verritur (*baderqueſt*) a glandulis, velut
ſugendo, attrahuntur, vt cuti adhaereant. Id in
calore maiore, aut minore non contingit, neque
illis, quibus tranſpiratio obſtructa aut morboſa eſt.
Diminuit balneum lac foeminis, vrinam etiam. Ex-
trema digitorum rigent, ſuperficies tota corruga-
tur, velut ab acidis tractatis, flaccida fit cutis cum
muſculis. Hinc, quibus muſculi a labore rigent, p. 75.
balneo recreantur, flaccidam vero balneo carnem
fieri vel ſic experti ſunt, qui illo vtuntur, quod fa-
ciem rugae ſeniles citius arent. In balneo longitu-
dinem corporis digito circiter creſcere expertus
eſt. Caloris gradui maiori adſueſcere homines
poſſunt, primo non niſi 45. gradus tolerauit, tandem
60. plerique gradu 50. ſudant, ſed, qui frequentius
illo vtuntur, ne 64. quidem. In ſicco balneo ca-
lor 60. 70. facilius toleratur, quam 48-50. in ma-
dido, vaporibus reſpirationem impedientibus. Ra-
rius iam ex balneo, frigidae, aut niui ſe immergunt,
damnoſum morem eſſe experti. Puerperae ſtatim p. 76.
poſt partum balneo vtuntur, cum recens nato.
Oculos in balneo naturalem ſuum nitorem perdere p. 77.
expertus eſt *.

* Thermometrum Suecicum 100. gradus numerat a puncto glaciei ad aquam ebullientem. Hinc gradus hi ad aliorum thermometrorum diuiſiones ita reducuntur, vt, gradibus hic inprimis memoratis Suecicis,

36; 39; 40; 50; 60; 70; 75;
reſpondeant Fahrenheitiani
96, 8; 102, 2; 104; 120; 140; 158; 167;

BOERHAAVIUS Chym. T. I. Tr. de igne Cor. 16. refert, animalia in calore gradum 140. Fahr. extincta eſſe, adeoque multo minore, quam horum balneorum eſt. Pueri ſani calorem in ore ſtatuit grad. Fahr. 98, cui conuenit cum MARTINII experimentis caloris manuum et ſubaxillaris.

p. 77. 8) Iis, quae antea de HARRISONO dicta ſunt, additur 10000 librarum Anglicarum dimidium praemii propoſiti, ipſi data eſſe, imputati tamen 2500, quae iam accepit, reliquas 10000 conſecuturum, ſi horologium eius ad nautarum vſum poſſit facile ab artificibus vulgaribus confici.

Trimeſtre ſecundum.

p. 81. 1) *De mutationibus quibusdam ſuperficiei telluris, inprimis in climatibus frigidioribus* diſſerit EPHR. OTTO RUNEBERG. Multis ſatis cognitis, quaedam etiam minus nota interſerit. Inprimis eo tendit, vt argumenta, quibus diminui perpetuo aquam Suecorum, fundi quidam eruditi contenderunt, exa-
minet. Vbi primo monet, non haberi in ſicca,
p. 86. quam habitamus, globi terraquei parte punctum fixum, vnde metiri poſſimus ſuperficiei, quae aquam terminat, altitudinem, cum montes ſubſident, profunda ex ipſo maris abyſſo attollantur. Si pars ſu-
perficiei terreſtris, quae v. c. vrbem aliquam ſuſti-
p. 91. net, cauum ſub ſe habeat, cuius conſtitutio ab aquis ſubterraneis mutetur, poſſe partem illam ſuperficiei, vel attolli, vel deſcendere et ſic relationem eius ad maris ſuperficiem mutari, etſi in ipſo mari nihil auctum, aut diminutum ſit. Inprimis vero
p. 92. animaduertit in locis frigidioribus aquam, terrae intermixtam, cum in glaciem abiens, extenditur, magnarum mutationum cauſſam exiſtere. Hinc, quantum aqua expandatur, dum frigore concreſcit, examinaturus, cylindros vitreos; aqua repleuit et fere vndecima ſui parte aquae volumen augeri, dum in glaciem abit, expertus eſt, in cylindris anguſtiori-
p. 93. bus, tantillo minus. KRAFTIUS Comm. Petrop. T. XIV. glaciei et aquae volumina in ratione 1000: 916. eſſe expertus eſt, cum quo experimenta, quae

Noſter

Noſter in tubis anguſtioribus inſtituit, exacte conveniunt, ampliores rationem 1000: 910. edunt. Ex argilla madefacta, vt manibus formari poſſet, cylindrum fecit longum 7, 95 digitos diametri 4, 5 linearum (decimalium), qui cum 6 horas frigori expoſitus fuiſſet, longitudine 1, 75 lin. breuior factus eſt et 30 aſſibus leuior. Similiter, primo vere, cum liquatur nix, cruſta terreſtris contrahitur, a lapidibus, quos forte circumdedit, ad 4 aut 5 pol- p. 94.
lices recedit, lapides, ante ceſpite tecti, reteguntur, aeſtate ſequente, denuo ceſpite tegendi, agri rimas agunt, cet. Aqua vero, quae madefecit interiora terrae, dum frigore in glaciem abit, terram ſibi ſuperincumbentem eleuat, vnde inaequalitates, cumuli illis ſimiles, quos terra, a talpis eiecta, effi- p. 96.
cit, etc. Cumulos tales, vere ineunte, diſſecuit Noſter et in illis veluti nucleum aliquem, terra circumiacente magis madentem, vidit, inter quem et ceſpitem, qui exterius cumulum ambit, interdum duorum digitorum diſtantia erat. Ingenioſe vero p. 97.
explicat, quomodo frigoris ope terra, mari adiacens, ex ipſo mari incrementa capiat. Si enim fingamus eiuſmodi terram, autumno aqua perlutam et emollitam, et omnia hieme conglaciata, ipſum vero mare adiacens, quod ibi v. c. ſinum efficit, glacie tectum, aeſtuante vero mari, fluxus vehemens oriatur, qui magnam aquae copiam verſus littus pellat, aqua haec cruſtam glacialem, qua mare in ſinu obducitur, in magnam conuexitatem attollet, eaque cruſta, littoris partibus, quibus adiacet, innixa: easdem ſimul in altum vrgebit eo facilius, quo magis interiora terrae illis in locis madent et materia ibi eam ob cauſſam mollis et tractabilis effecta eſt. Ita vero littoris ſuperficie ſuperiore ab iis, quae ſubiacent, diuulſa, hiatus aperiuntur, in quos ruit aqua adiacens et ſecum foeces

marinas

marinas defert, ibi, poſtquam receſſit aqua, manſuras. Quo modo diuerſa ſtrata littoris ex ipſo fundo maris augeri poſſunt et naſci, variaque marina in illis condi; littus vere poſt plures annos ſupra mare magis, quam ante eminebit, non quod mare
p. 100. decreuerit, ſed quia littus altius factum eſt. Lapis, in aqua poſitus, vbi aqua obducitur glacie et haec glacies etiam ſuperficiei lapidis firmiter adhaeret, cum ipſa hac glacie tollitur, ſi illa ob accedentem in fluxu v. g. maiorem aquae copiam eleuatur, interea vero, vt ante de ripis hiantibus dictum eſt, terra et, quae in mari ſunt, infra lapidem deferuntur, quo fit, vt, cum rurſus ſubſidet lapis, altius quam ante vltra aquae ſuperficiem quaſi decreuiſſet, aqua emineat. Haec non contingunt apici montis alicuius, ex aqua prominenti, aut etiam lapidi, ſolo molliori incumbenti. Igitur qui, an diminuatur aqua nec ne? diſputarunt, quilibet ſuae ſententiae fauentes, lapides inuenerunt; etſi hi lapides neutram ſententiam probent. Quae et alia, eo pertinentia, fuſe et ſubtiliter explicat.

p. 116. 2) *Dies, quibus lacus ingens, Mälar appellatus, inter* Holmiam *et* Weſteros *quotannis a glacie liberatus, nauigationi rurſus patuit, edit* ABR. A. HÜLPHERS. Ex diario ſodalitatis nauigatorum deſumti ſunt inde ab anno 1715 ad 1765; medium exomnibus ſumendo, glacies reſoluta haberi poteſt
p. 117. Aprilis 20 vel 21. Sed horum annorum ſeriem biſſecando et medium ſumendo, tum ex prioribus 27 annis, tum ex poſterioribus; glaciei ſolutio media, prioribus incidit in 16. Aprilis, poſterioribus in 25 Aprilis, vt iam ver tardius accedere videatur, quam ante, cum tamen communis ſententia ſit eaque ceterum ſat vero ſimilis, quo magis ſyluae caeduntur, et regiones coluntur, eo magis vim frigoris

ris frangi et clima temperatum reddi. Plerumque nauigari poteſt lacus adhuc nouembri menſe; interdum ipſo decembri. Sinus eius et freta arctiora tardius ipſo lacu conglaciantur et citius liberantur.

3) *De calculo eclipſium* diſſertationem inchoat F. MALLET in plures articulos diuiſam, quorum *primus*, qui iam editur, *paralaxin* in *tellure ſphaerica* confiderat et eius computum ad formulas commodas reducit. p. 118.

4) *Experimenta electrica cum laminis vitreis, ſibi mutuo attritis inſtituta*, recenſet TORBERN BERGMANN. Experientia teſte quodlibet fere corpus, M. cum alio A. tritum, negatiue electricum fit cum alio Z. poſitiue; ſed hunc ordinem turbant, frictionis, ſuperficiei et aliae varietates; quo igitur leges et cauſſae perturbationum pateant, experimenta ea ſimplicitate inſtituenda ſunt, vt unum ab altero non niſi ea conditione differat, cuius examen accuratius intenditur. Eo fini Noſter iam ſibi mutuo affricuit laminas vitreas, quantum fieri potuit, eiusdem per omnia conditionis, experimenta, nec contrahi in breuitatem, nec ſine omnibus figuris explicari poſſunt; ea vero ſola ratione optime explicantur: vitrum, magis calens, poſitiuum fieri, coloratum vitrum frictione cum eo, quod colore caret, ſemper negatiuum fit, quod ex materiis metallicis, quibus colorantur vitra, intelligitur. Caeterum cum FRANKLINI hypotheſi de cauſſis phaenomenorum electricorum aliqua obſtent; Noſter quidem exiſtimat, ſequentibus cum omnibus experimentis conuenire: 1) Eſſe duo electricitatis genera, quorum quoduis ſolitarium eosdem effectus edat, ſed coniuncta ſe mutuo deſtruant. 2) Quoduis horum generum naſci ex abundantia certe cuiuſdam p. 127. p. 133. p. 136. p. 140.

dam materiae, quae ſingulae agant, coniunctae vero, vt menſtruum, ſolutione ſaturatum, quieſcant.

p. 142. 5) *Scleriam, nouum genus plantae, ex America* deſcribit, PETR. IONAS BERGIUS. Plantam in-
p. 143. ter ſiccatas Surinamenſes ROLANDRI Noſter poſſidet. Character genericus hic eſt: Flores *maſculi* in eadem planta cum feminis mixti. CAL. Gluma 5-vel 6-valuis, diſtiche imbricata, ouata, multiflora: valuulis ouatis, acuminatis, carinatis, concauis, arcte clauſis, integerrimis, perſiſtentibus; inferioribus minoribus anguſtioribus. COR. Valuulae plurimae, oblongae perſiſtentes, calyce paulo longiores, ſtamina diſtinguentes. STAM. Filamenta plerumque 3. ſetacea longitudine corollae, intra vnamquamque valuulam corollae. Antherae incraſſatae. Flores *feminei*. CAL. vt in maſculo, ſed vniflorus. COR. biualuis, valuulis lanceolatis acutis oblique flexis, calyce breuioribus. PIST. Germen ſubrotundum, baſi innixum fundamento ore ſubciliato. Stylus filiformis. Stigma ſimplex. PERICARP. nullum. SEM. vnicum globoſum, ſuboſſeum, magnum, nitidum, apice tuberculatum, baſi cinctum calyce. Species duae deſcribuntur etiam a Noſtro et depinguntur. 1) Scleria, flagellum nigrorum dicta. 2) Scleria mitis. Prioris caules et folia aculeis armantur, Bataui illa ad ſeruos puniendos vti dicuntur; eſt LINNAEI ſchoenus ſecans. Syſt. nat. ed. 10. p. 865. Ab ea nomen generi Noſter dedit, alteram ſpeciem, aculeis carentem, apud nullum autorem reperit. A ſchoeno differt ſcleria, quod monoecia eſt, item calyce,
p. 147. qui eſt gluma ſexualis, cum ſchoeno biualuis ſit.

6) *Succi*

6) *Succi, ex fraxini foliis expreſſi, vires contra* p. 149.
viperarum morſus experimento docet LAUR. MONTIN M. D. Med. Prou. Hallandiae. Duo ſaltem reptilia venenata ſunt Sueciae coluber berus. Linn. Syſt. ed. X. et coluber cherſea, Suecis *Aeſping* dictus (deſcriptus LINNAEO Comm. Ac. Sc. 1749. Trim. IV. 1.) Vltimus rariſſimus eſt, ſed veneni potentiſſimi, contra quod LINNAEUS fruſtra oleum oliuarum tentauit, theriaca quoque nihil profuit. Eiusmodi coluber ruſtici digitum minimum pedis p. 150.
dextri vulnerauit, ſtatim a laeſo occiſus, qui vero ſex demum horis poſt vulnus inflictum, Noſtri auxilium implorauit, veneno, vt facile intelligi potuit, iam per omnem maſſam ſanguinis diſperſo. Planta pedis et crus rubebant et tumebant, pulſus debilis et intermittens, caput et artus dolebant, vires erant proſtratae, anxietate grauabatur, cibi appetitus nullus, hora poſt meridiem, etſi inde a primo mane cibum nullum ſumſiſſet. Medicus iuniora fraxini folia diſcerpta, quantum manus extenſa capere potuit, in mortario contudit, vino Gallico admixto, ſuccum, quem ſic obtinuit, per linteum preſſum, iuſſit, vt vulneratus hauriret ſingulis dimidiis horis, quantum capit vitrum, quo vinum bibi ſolet; mane et veſperi cataplaſma ex fo- p. 152.
liis fraxini digito et pedi circumponi ordinauit, hora vero 10. veſpertina olei oliuarum, quantum capit vaſculum, ex quo theae infuſum bibi ſolet, cereuiſiae tenuiori calidae commixtum. Aeger bene dormiuit et die ſequenti melius ſe habuit. In crure tumor nullus viſus eſt, qui et ipſe in pede infimo decreuit, neque dolores amplius ſenſit, debibilis tamen adhuc et anxius. Pulſus plenior et magis aequalis. Iuſſus, quae, die elapſo, fecerat, repetere, ſuccum plus, quam duabus vicibus ſumere neglexit; ſequuta eſt nox inquieta et proximo die

multo

multo infirmior fuit, quam ante, pes rurſus intumuit, rubuit, ſtriae liuidae apparuerunt, pulſus debilis et fere tremulus. Ne igitur hac tertia die ſimili negligentia peccaretur, conſtituit medicus aliquem, qui curam aegri ex praeſcripto haberet et reliquis addidit veſperi theriacam, quantum eius cumulari poteſt in cochleari exiguum, quo theam
p. 153. ſumentes vtuntur; ita ſingulis fere horis melius ſe habuit laeſus, nocte ſequenti tota dormiuit, valde ſudauit et die proximo nihil fere eorum, quae huc vſque illum anxerant, ſenſit. Liuidus color omnis et rubedo maxima ex parte euanuerunt cum magna parte tumoris, pulſus aequalis nec debilis, cibi appetitus rediit. Hac die, eodem remediorum cùrſu continuato, omnino conualuit, niſi quod pes aliquantum riguerit et ſenſibilitas quaedam maior in digito minore remanſerit, ſed et haec poſt aliquot dies ceſſauerunt et tunc ſucco non amplius vſus eſt. Oleo et theriacae nihil fere hic tribuendum eſſe credit Noſter, quoniam alii in ſimilibus caſibus nullum plane ab iis auxilium experti ſunt. Addidit illa, cum de ſucci viribus incertus eſſet. Illum vero ſolum mederi morſibus colubri beri, ſaepius vidit.

p. 154. 7) *Memorabilia quaedam, quae in coetu Waſſenda inde ab anno* 1720. *acciderunt, refert* TORSTAN WASSENIUS. Vt 1720. medio decembri Albim Gothicum, vbi latiſſimus eſt et praecipitio 50. pedum altitudine cadit, frigore conſtitiſſe. Feminam in matrimonio 18. annorum et 9. menſium partibus 18. edidiſſe liberos 19. vltima vice gemellos, qui breui tempore poſt matrem mortui editi, vel in tenella aetate mortui, vnico filio
p. 158. matri ſuperſtite. In pago Nagelhemenſi infantum recens natorum, ſaepius quarta pars obit, antequam

quam annum vixerint, igitur memorabile eſt, qui 1755. editi ſunt, numero 39, omnes adhuc vixiſſe, dum Noſter haec ſcribebat, aetatis 8. aut 9. annorum, vnico excepto, quem triennem variolae 1758. interemerunt.

Trimeſtre tertium.

1) *Platinae del Pinto examina quaedam chymica* inſtituit IO. GOTTSCHALK WALLERIUS. Coniunxit cum illa inprimis hepar calcis, arſenicum fixatum, pyrites arſenicales et ſulphureos. Experimenta cum deſcribere non poſſimus, addimus ſaltem conſectaria, quae ex illis deriuauit. Platinam del Pinto aeque, ac aurum cum pyritibus, tam arſenicalibus, quam ſulphureis mineraliſari \nediante ferro, nam cum hepate calcis et arſenico fixato non mineraliſatur. Mineraliſatam, additis vitrificantibus, borace cet. in vitrum et ſcorias abire, etiam materiis reducentibus admixtis, neque reduci et praecipitari, niſi metallo aliquo addito, in quod colligatur. Igitur vel in ſtatu naturali, peculiari terrae aut lapidi iunctum eſſe, ad magneſiam proxime accedenti, vel nitro, aut arſenico fixato peculiari quodam modo mutari, metallum vero ſui generis eſſe, non recrementum aut mixtum. Vitrum ſaturni e platina optime educi eliquando, vt cuprum ſolet a plumbo liberari. p. 161. p. 171.

2) *Nouam machinam ſerendo idoneam* excogitauit C. CRONSTEDT. p. 172.

3) *Methodum integrandi* primo anni huius trimeſtri expoſitam, vlterius illuſtrat et applicat DAN. MELANDER. p. 187.

4) *Morbos, quibus electricitatis ope auxilium tulit,*
p. 193. recenſet GUSTAVUS FRIDERICUS HIORTBERG Parochus Waldenſis in Hollandia. Tentamina ſpa-
p. 194. tio ſex annorum ſuſcepta hic enarrantur. Prima claſſis morborum, quos electricitas ſuſtulit, *rheuma-*
p. 200. *tiſmi* ſunt, quorum ſatis inveteratos et vſum artuum impedientes curauit, additis tamen, ſi durare debebat ſanitas reddita, remediis internis, ſanguinem purificantibus, item frictione et calore. Qui vero a frigore, humore in locis corporis, olim morbo ſubiectis, vino aduſto et adipe porcino non abſtinebant, ad auxilium Noſtri denuo implorandum
p. 202. redierunt. Deinde *ſurdaſtris* etiam auditus reſtitutus eſt et *aurium tinnitus* ſiluit, cum haec mala ab obſtructionibus poſt febres nata ſunt. Simul vero et emollientia auribus iniecit et cochleari ad purgandas aures vſus eſt. Sebum vero aurium emolliri electricitate expertus eſt, et cum puellae nouenni, ſex iam annis ſurdaſtrae, veſpere per ambas aures tres aut quatuor ſuccuſſus electricos dediſſet, illaque die proximo rediret, ex aure ſiniſtra copiam materiei, ſanguine mixtae, extraxit et acum orichalceam, varie curuatam, cui ſebum aurium viſcidum et craſſum adhaerebat; dextram vero aurem, materia lutea plenam, reperit, cum die praecedente omnia in auribus dura fuiſſent; vnde colligit, tumores in interioribus aurium electricitate maturari et reſolui. Contracturae medebatur electricitas in ruſtico annorum 22., cui anno aetatis 17. poſt graues variolas pes dexter inter inſignes dolores ita curuatus eſt, vt crus parti femoris poſteriori ſe applicaret, calcaneus lumbos tangeret et miſer non niſi ſuper pede ſederet; nulla vi crus ita poterat a femore remoueri, vt digitus interſeri poſſet. Variolas in curuatura interiore genu habuerat magnas vt alibi, ſed illo in loco tardius ſanatas et, cum ſa-

nari

nari inciperent, crus magis magisque ad femur acceſſit et patella ad eam duritiem tenſa erat, vt lapidem imitaretur. Suſtentaculis duobus fultus, vix per 5. aut 6. paſſuum ſpatium ſubſultando progredi poterat, antequam rurſus quieſceret; nam pes alter etiam debilis et corpus omnino erat cacochymicum tumidum. Noſter igitur, qui credebat, tendines aegri a variolis laeſos eſſe, nulla boni euentus ſpe, multum rogatus, duos ſuccuſſus electricos dedit, poſt quos crus a femore receſſit in ſitum, alterius cruris ſitui ſimilem, poſt tertium ſuccuſſum aeger ſuſtentacula ſua, velut tabulas votiuas reliquit, nec vllo auxilio amplius indigens, abiit. Quae ingens mutatio ſemihora effecta eſt. Poſtero die in frumento flagellis exterendo cum maxime aſſiduis certauit; iam enim per plures annos in domo auctoris ſeruit, miniſtrorum eius validiſſimus et maxime fidus. Nec minus medelam electricitate Noſter attulit *colicae*, *malo iſchiadico*, *languori et rheumatiſmo* pedum. Viro, quem taeniam habere ex indiciis p. 207. collegit, ſuccuſſos electricos dedit, conuulſionesque excitauit et, manum abdomini imponens, velut globos pugni magnitudine in abdomine et lumbis mouere ſenſit, poſt anthelmintica dedit et aeger fruſtum taeniae dimidiam vlnam longum emiſit cum aliis breuioribus. *Dolores dentium* tollit etiam electricitas, item *paralyſin*: *cephalalgiam* et *hemicraniam* rarius, niſi adhibitis ſimul veſicatoriis et venaeſectione. Ceterum bene ſperare iubet aegros, ſi, dum durat operatio, ſudent, tremant, vrina exitum moliatur, calor inſuetus percipiatur, cum punctione et motibus in partibus affectis, totum corpus autem veluti leuius euadat.

5) *Fungum braſſicae* deſcribit BENED. BERGIUS. Braſſicam, vbi in foueis, durante hyeme, p. 208.

cuſtoditur, e foliis ſemina producere, oeconomicorum error eſt, quem Noſter ita redarguit, vt oſtendat, corpuſcula haec, pro ſeminibus habita, nihil omnino ſtructurae ſeminum oſtendere, non membranam, qua teguntur ſemina, non ſubſtantiam farinaceam, cet, ſed meros fungos eſſe.

p. 213. Dubius tamen aliquantum, ad quod genus referatur, demum ita ſentit, vt pro lycoperdi ſpecie habeat nomenque illi det: *lycoperdon* (braſſicae) *globoſo difforme paraſiticum, laeuiuſculum, ſeſſile.*

p. 214. 6) *De aſparagis plantandis* agit I. E. L. EHRENREICH. Culturam oleris vtiliſſimi multo faciliorem reddidit, vt minoribus impenſis et proximo anno, poſtquam plantatum eſt, meſſem vberem praebeat. Res inprimis eo redit, vt tale ſolum aſparagis praeparetur, in quod non nimis profunde radices penetrent, ſed horizontaliter excurrant et caules protrudant. Igitur ſolo argillaceo vſus eſt, cui humum, arena et ſimo corrupto mixtum, ſuperaddidit.

p. 221. 7) *Animal marinum ſingulare*, academiae exhibuit MICHAEL GRUBB. Ex China redux habuit illud in Capite Bonae Spei a Batauo, ibi habitante, qui illorum quinque in litore repererat, aeſtu maris, qui vento vehemente vltra conſuetum morem auctus fuerat, eiecta. Animal nulli ante cognitum, qui viderunt, illud iudicarunt.

p. 225. 8) *Idem animal* accuratius deſcribit PETR. ION. BERGIUS. Eſt vero ipſi teredo, tentaculis ſimplicibus 4. ſubulatis, plumoſis binis lateralibus, dentibus capitis vtrinque 16. deauratis, vagina recta libera. A dentibus coloris aurei chryſodon appellat. Cui vero vſui ſint dentes, illi vix patet, niſi

niſi ſplendore ſuo infecta, quibus ſine dubio veſcitur, alliciant. Viuum enim animal nemo vidit praeter Batauum illum, qui languentia in litore reperit et vi ex vagina ſua extraxit, deinde in ſpiritu vini ſeruauit. Hac vero occaſione BERGIUS teredinis characteres genericos paulo aliter conſtituendos monet, quam III. LINNAEUS in ſyſtemate naturae, duabus tantum ſpeciebus viſis, determinauit, iam enim plures acceſſerunt. Habet autem ex noſtri definitione teredo *corpus* cylindricum, lateribus vtrinque aculeatum. *Os* labiis 2. rotundatum. *Tentacula* plumoſa ad caput. *Vaginam* ſeu *tegmen* ſolidum, animal fouens. Species ipſi ſunt ſex 1) Chryſodon, 2) Melitenſis, ELLIS corall. p. 92. tab. 34. 3) Tubus vermicularis ibid. tab. 38. f. 2. 4) Lapidaria, KOHLER Comm. Ac. ſc. Suec. 1754. tab. 3. fig. A. F. 5) Arenaria ELLIS corall. p. 90. tab. 36. 6) Naualis a SELLIO deſcripta. Teredinis, quae chryſodon Noſtro dicitur, teſta etiam hoc peculiare habet, quod nec cum acidis effer- p. 227. p. 231. ueſcat, nec igne in calcem abeat, ſed in cinerem nigrum, quo et phlogiſton naturae animalis prodit et ad teſtacea referri ſe vetat.

9) *Spartium ſcoparium* hortorum inprimis amatoribus commendat PETR. OSBECK. Planta indigena Sueciae eſt, ſed rarior, ramis denſis et late ſe extendentibus, etiam hyeme, cum foliis orbi ſunt, oculos laeto illorum virore delectat. Fructus, etſi hominibus nutriendis nimis exigui ſint, animalibus tamen praeberi poſſent. Sepibus inprimis aptus eſt frutex, multitudine etiam florum pulchrorum amoenus. p. 232.

10 *Additamentum* diſſertationi praecedenti adiicit ABR. BAECK, vſum medicum inprimis p. 235.

plantae vberius exponens, quem OSBECKIUS breuiter et fere dubitans tetigerat. Flores geniſtae, ab hoc frutice ſumendae, iam rarius praeſcribuntur a medicis Suecicis, forte quoniam ipſa planta rarior eſt.

p. 236. II) *Aquam mineralem factitiam* deſcribit IO. HAARTMANN M. D. Vncias duas ramentorum ferri et 3. vel 4. ſulphuris contuſi, linteo inuolutas, lagenae, duobus cantharis aquae fontanae repletae, indidit et lagenam obturatam in cella per noctem ſeruauit. Die ſequenti bibendam aegro praebuit, addito ſale cathartico. Ita per plures ſeptimanas continuauit, lagena, poſtquam euacuata erat, rurſus repleta, et in cella re-
p. 237. poſita. Aqua haec gallis aut liquore vini probatorio ita examinata eſt. Vitri ſicci fundo gallas contuſas adfricauit et linteo ſicco deterſit. Aqua infuſa, ſi obſcurius rubuit acidulis naturalibus, aut a liquore vini probatorio infuſo colorem caeruleum marinum obſcuriorem nacta eſt, quam acidulae naturales oſtendunt, tunc, aqua fontana adfuſa, illam diluit. Si vero debilior facta eſt, quod circiter, octo diebus elapſis contigit, limaturae ferri et ſulphuris alia portio indita eſt. Aquae huius vires illas eſſe comperit, quae ſunt acidularum naturalium Oboenſium, inter Suecicas et Finnicas, quas examinauit, optimarum.

Trimeſtre quartum.

p. 241. I) *De magneſia* experimenta edit SWEN RINMANN. Nouas quaſdam ſpecies magneſiae examinauit, CRONSTEDTIO in tentamine mineralogiae (cuius etiam Germanica exſtat verſio)
p. 255. non cognitas. Generatim vero experientia ſua confir-

confirmat, quae POTTIUS docuit, magneſiam ex terra alcalina conſtare, proxime ad eam accedente, quae baſin aluminis conſtituit. Calcaream naturam colligit ex grauitate inſigni ſpecifica, item quod cretae ad modum, aquam attrahat, igni vero, quo vſtulare dicunt mineras, expoſita multum ponderis perdat, ſoluatur ab acidis cet., Iam, ſi magneſiae praecipuus character ſit, vitrum colore intenſe rubente, qui granati dicitur, tingere, accidentale eſt, quod aliquae ſpecies, a Noſtro examinatae, nigrae ſint, ponderoſae, manum tractantis velut fuligine conſpurcent et phlogiſto cuidam arcte vnitae ſint; ille enim vitro eundem, quem diximus, colorem praebent aeque, ac albae et colore orbae. Ferrum vero accidentaliter hic ſaltem admixtum eſſe credit, neque ad naturae magneſiam pertinere, quam inter lapides refert abſque alio additamento in igne fuſibiles, propriam vero terram pro baſi habentes. p. 256.

2) *Animal marinum* deſcribit ALEX. MICH. A STRUSSENFELT, fortificatoriae rei praefectus et equès ordinis gladii. Refert illud ad holothurias, nominatur itaque holothuria, phantapus, collo caudaque ſquamoſa, abdomine longitudinaliter quadrato punctatoque. Collum contrahere poteſt, quo ipſo alia plane ſpecie ſpectatur. Hinc Suecum nomen ipſi tribuit *ſpectrum marinum*. Externam faciem et anatomiam ſatis exacte deſcribit, inter haec muſculos, quorum ope contractio illa abſoluitur. Rarius animal eſſe videtur, quoniam aliquot annorum ſpatio pauca ſaltim e mari extracta ſunt in freto, inter Landscronam et Huennam e profunditate 18 - 20 orgyiarum. p. 256.

p. 266. 3) *Apparatum electricum, quo aegris opem fert,* depingit et deſcribit GUSTAV. FRIDERIC. HIORTBERG. Machina vtitur, quam mechanicus Britannus EDUARD NAIRN conſtruxit, varia vero inſtrumenta ipſe excogitauit, quibus electricitas commode certis partibus corporis applicetur, vt, fila craſſiora orichalcea, quibus pars cruris et femoris ita includi poſſit, vt ea ſola ſuccuſſum electricum recipiat, reliquo corpore nihil ſentiente, bacillos orichalceos in patellam ſphaericam cauam ab vna parte, conuexam ab altera, deſinentes. Cauam applicat oculo, cataracta laborante occluſo, ſi coecitas praeterea cum doloribus in oculo velut puncturis iuncta ſit. Dolores hos ſuſtulit, viſum reddere non potuit, dum applicaretur electricitas, coeci tamen validas ſcintillas ante oculum viderunt. Eoſdem bacillos eo extremo, quo in globulos conuexos deſinunt, auribus ſurdorum et quibus tinniebant aures, immiſit, interdum lato au-
p. 270. xilio. Odontalgiam electricitate leuaturus, bacillum orichalceum, extremo acuto in dentem dolentem immittit, alterum extremum obtuſum dente tenetur, qui dolenti opponitur, ne vero hic dens effectus electricos ſentiat, extremum illud puluinari exiguo ſericeo obductum eſt. Ita ſpatio ſex annorum dentium dolore aliquot centenos liberauit, effectu interdum ſatis diuturno, ſi a frigore poſt cauerint. Notatu dignum eſt, quod feminae cuidam contigit. Ea dentibus laborans, vt prima tentaret vim electricam, adduci non potuit. Itaque alia femina, eodem malo adfecta, coram priore auxilium electricitatis adhibuit, quod cum vidiſſet prior, et ipſa decreuiſſet, adhibere electricitatem, bacillo, quem diximus, intra os ſumto, ſudare incepit et dolores dentium ceſſarunt, neque iam redierunt, tertio ab hoc euentu, quo haec ſcripta ſunt anno.

Quibus

Quibus pedes et plantae illorum dolent, illos, nu- p. 273.
datis pedibus, inſiſtere facit machinae cuidam, ſo-
leae formam habenti, ſed eminentiis rotundis con-
ſitae, quibus ictus electrici in plantam propa-
gantur. Reliqua ſine figuris explicari non poſſunt.

4) *Obſeruationes ad tabulas numerorum et con-* p. 274.
ditiones incolarum Sueciae exhibentes continuat EDUARD
FRID. RUNEBERG. Hac parte, quae ad aetatem
et ſexum pertinent, recenſens. Aetatem in decen-
nia diuidit, quantus virorum, quantus feminarum
numerus ſit, hoc vel illud decennium agentium,
enumerans. Claſſes autem hominum pro aetatis
ratione tres conſtituit. Qui nondum quintum
aetatis annum attigerunt, aut octuageſimum ſupe-
rarunt, tantum abeſt, vt aliis prodeſſe poſſint, vt
e contrario ipſi aliorum auxilio indigeant; ſe ipſos
cuſtodire paulatim incipiunt, qui intra 5. et 15. aeta-
tis annum verſantur; deſinunt intra 65. et 80. con-
ſtituti. Igitur aliis et ſibi ipſi maxime inſeruit me-
dia claſſis hominum, intra 15. et 65. aetatis annum
conſtitutorum. Has igitur claſſes, pro numero
hominum, ſexus diuerſitate, gradibus mortalitatis
cet. inter ſe comparat et, quae ad illas reipublicae
cura pertineat, oſtendit.

5) *Oculum ſingulari modo affectum* deſcribit p. 290.
IO. LAUR. ODHELIUS M. D. aulae regiae medi-
cus. Puella annorum 3. inflammatione oculorum,
quae variolas comitabatur, dextrum quidem omnino
perdidit; ſiniſtrum, poſtquam ceſſabat inflammatio,
leucoma denſum, flauo albeſcens texit vel ipſum
diei noctisque diſcrimen miſerae occultans. Ad-
hibitis, anno labente, remediis variis, inprimis col-
lyrio antiphlogiſtico ſeptico effectum tandem eſt,
vt poſſet puella videre, quae in domeſticis negotiis

agenda ancillae ſunt, ſicque vitam ſuam ſuſtentare, annum iam agens 23, litteras nec diſtinguere poteſt, nec legere didicit. Adhuc tamen leucoma centrum et maximam partem corneae obtegit, libero tantum corneae annulo quodam, non admodum lato, nec aequaliter vbique lato, qualis facies eſt ſolis, lunam in eclipſi annulari ambientis, latiſſimus annulus eſt ad angulum oculi externum. Prope hunc angulum in parte illa corneae pellucida, noua pupilla ſingulari naturae artificio effecta eſt, magnitudine exigui oculi piſcis, ſed quae nec contrahi,
p. 291. nec ampliari poſſit. Per hanc pupillam, lux, quantum ſufficit, illabitur puellae, oculum ita vertere adſuetae, vt haec pupilla medium occupet. Hinc et a medicamentis abſtinuit, pellucidam partem corneae collyrio debet. Credit Noſter imitari poſſe medicum hoc naturae artificium, ſi forte centrum corneae cum pupilla ita obſtructa ſint, vt coecitati alio modo mederi nemo poſſit, confirmari etiam hoc facto exiſtimat ſententiam ſuam, olim traditam, in cataractae operatione non magno periculo vueam laedi.

p. 292. 6) *Oſſificationes quasdam, in arcu maiore aortae repertas*, deſcribit ROLAND MARTIN. Vir annorum 65. cum variis morbis diu conflictatus, ſed anno 1765. autumno ſatis bene valens, ſubito exſtinctus eſt d. 28. octobr. inter coenandum, ſenſibus et mentis integritate ad extremum vitae pollens, nulloque praegreſſo mortis indicio. In cadavere aperto praeter contractiones inteſtini coli, lien paulo induratus, calculos quatuor in veſicula fellea, ſerum in ventriculis cerebri et cerebrum humidum. Praecipua, quae attentione digna erant, in cauo thoracis ſe obtulerunt. In ſinu venae cauae et dextro ventriculo cordis nihil fere ſanguinis reper-

repertum, e diſſecta vero aorta ingens copia ſanguinis effluxit. Quod ab iis, quae in cadaueribus aliis obſeruantur, plane diuerſum, occaſionem dedit, vaſa illa accuratius examinandi, repertumque eſt, aliquantum ad ſiniſtram illius loci, vbi primi magni rami arcus aortae ſeparantur, oſſiculum durum monetae exiguae magnitudine, ſed oblongum, in peripheria tenuius, deſinens in margines cartilagineas, membrana interiore aliquo modo tectas. Orificium ventriculi ſiniſtri, quod aortae iungitur, prope valuulas ſigmoideas inaequalitatibus duris aſperum erat, velut ſtriis oſſeis ad baſes duarum inprimis ex valuulis illis adnatis, puncta offificationis ad valuularum ſemilunarium baſes referentibus, oſſiculum vero, et ligamentum ex canali arterioſo BOTALLI ortum ſtudioſe deſcribitur. Ceterum dexter pulmo pleurae adnatus, cauitas thoracis aqua multa repleta, nec non pericardium. Sub finem oſſificationum eiusmodi originem explicat Noſter et ſubitam mortem ex ſyncope deducit.

7) *Conuulſiones a vermibus* deſcribit IO. GUIL. WAHLBOM M. D. Med. Prov. Calmarienſ. Obſeruatae in filiis duabus pauperis viduae annorum 9. et 11. frequentes, ſubitae, vehementes, vt dorſum cauum fieret, aeger vero pedibus et occipite terrae inſiſteret. Remediis adhibitis, ſanati pueri poſt lumbricos multos et aſcarides cum muco plurimo eiectos. Id vero memorabile eſt, quod mater fortuito detexit, conuulſiones ſubito ceſſare, ſi aegri, in paroxyſmo iacentis, facies ab aliquo adflaretur; quo quidem adflatu paroxyſmus ſemper potuit ſiſti, mali cauſſa non tollebatur. Mirabilem effectum cum effectu flatus et frigidae in eos, qui in deliquio iacent, comparat. p. 303. p. 307.

8) *De*

p. 308. 8) *De vſu felis bouini inſpiſſati contra epilepſiam* refert CARL. FRID. HOFFBERG M. D. et aulae regiae medicus. Monet contra idiopathicam epilepſiam nulla fere auxilia eſſe, ſympathicam poſſe tolli, cauſſas morbi auferendo. Fel bouinum inſpiſſatum, drachmae pondere, in vncia vini Gallici, mane et veſpere ſumi iuſſit, ſaepius hinc bonum euentum expertus. Euacuationes contigerant per
p. 312. aluum et ſaliuam. In excrementis pueri, hoc remedio curati, repertae ſunt membranae vacuae, planae, velut piſorum compreſſae, forte quia morbus a vermibus natus erat, medicamenti vi conſumtis et in mucum reſolutis, membranis illorum poſt eiectis. Quomodo fel contra epilepſiam profit, ex
p. 324. eius vſu, aliunde noto, explicat. Paſtor WAENERBERG A. M. 1756. in comitiis remedium obtulit contra epilepſiam ex felle vrſi et floribus liliorum conuallium, reditu annuo eam ob cauſſam a ſtatibus regni donatus.

p. 317. 9) *De oſſibus humanis ingentis magnitudinis* refert TIBURTZ TIBURTIUS Praepoſitus et Paſtor, coetus ad monaſterium Wreta. Anno 1764. d. 22. iulii cum cadaueri condendo ſepulcrum fieret, in coemiterio, quod templo Wretenſi adiacet, in profunditate paulo maiore 4. vlnis, in arena repertum eſt ſceleton humanum valde magnum, oſſibus eo ordine, quo in viuo corpore iunguntur, ſitis. Erui iuſſit oſſa e terra et cuſtodire, ſed errore eorum, qui cadauer condiderunt terrae rurſus iniecta ſunt, donec occaſione monumenti ad id ſepulcrum exſtruendi, rurſus extrahi aliqua potuerunt. Caluaria vero tum fracta erat. Maiora tamen oſſa iam in templo cuſtodit, oſſa femoris lon-
p. 319. ga ſunt digitos 23. tibia a genu ad articulationem plantae pedis digitos 18. fibula 15. os coxae longum

gum aut altum digitos 10. ſupra acetabulum digitos 6. Infimum os ſpinae dorſi altum digitos 5. aequalis latitudinis.

10) *Quaedam ad hanc relationem* notat ROLAND. MARTIN. de gigantibus, quos natura corporis humani, vt extitiſſe credamus, non permittit; homines tamen valde proceros, vel ipſi vidimus, vt Tridentinum illum *Gilli*, vlnas Suecicas 4. cum duobus digitis longum. Oſſa igitur illa TIBURTII, hominis fuerunt (ſi fuerunt hominis) 4. vlnas longitudine aliquantum excedentis. Proceritas corporum ſine dubio ab educatione plurimum pendet. OLAUS RUDBECKIUS ſenior Atlanticae T. 3. p. 245. de ruſtico refert, pedes 8. longo, qui vſque in ſeptimum aetatis annum lac matris ſugerat puer, vſque ad meridiem in lecto decubuerat, et 18. demum aetatis anno labori graui ſe applicuerat. p. 319. p. 322.

II.

Chirurgiſche Streitſchriften, welche ſtatt des gewöhnlichen Examens, zur öffentlichen Vertheidigung unter dem Vorſitze des Herrn Prof. HENNINGS, *Oberführers der Wundärzte beyder Königreiche und öffentlichen Lehrers der Wundarzney- und Zergliederungskunſt im königlichen Hörſahle der Wundärzte zu Kopenhagen aufgeſetzt ſind von* FERDINAND MARTINI, *Wundarzt. Kopenhagen, bey Gabriel Chriſtian Rothens Witwe und Proſt.* 1764. 8. pl. 13.

i. e.

Diſſertationes chirurgicae, Praeſide HENNINGIO, publicae diſceptationi expoſitae a FERDINANDO MARTINI.

Libellus hic varias obſeruationes continet, ex quibus nonnullas recenſere operae pretium duximus, cum ingenii vim et attentionem ad mutationes naturae in iis deprehendamus, quamquam a chirurgo, principiis ſcientiae medicae non ſatis imbuto, neque obſeruationibus, ab aliis declaratis, inſtructo, conſcriptae ſunt. Sunt autem diſſertatio-
p. 2. nes varii argumenti. Prima *de formatione calli* exponit. Callus bonus interdum praeſente oſſis carie exiſtere poteſt. Neque ſemper ad margines vulneris fit oſſearum particularum appoſitio, ſed et in medio. Quod originem eius ſpectat, ſaepe eam ſuppeditat in vulneribus cranii intumeſcens ſenſimque durius redditum cerebrum; in aliis partibus perioſteum, partes carnoſae et tendinoſae. Non
p. 9. autem formatur per effuſum ex vaſis ſuccum, qui poſtea indureſcat, ſed aeque ac cicatrix partium mollium ex elongatis vaſis: qua vero ratione haec

in

in os mutentur, difficile dictu est. In structura eius non tantum fibrae seu tubuli ossei conspiciuntur, sed etiam pariter, ac in osse ipso vasa mollia, inter se communicantia, quae numquam ossescunt. An ipse callus, si destruatur, noui calli materiem praebere queat, incertum est. Cuncta haec in additamentis, fini totius libelli subiunctis, vlterius illustrantur.

Secunda dissertatio *de paracentesi in hydrope abdominis* agit, vbi ante operationem vectio aegri in curru supra fascias, abdomine aliquantum pendulo, suadetur, et incisio, quae lanceola fit, acus triquetrae vsui praefertur. Operatione finita, iniectio aquae calcis viuae proficua censetur, peculiari apparatu peragenda. p. 25.

Tertia dissertatio *communicationem ventriculorum cerebri* perpendit, quae in statu naturali negatur, et demum sub administratione anatomica cerebri, aut flatu in alterutrum ventriculum immisso, aut corpore calloso, vi eleuato, ideoque septo pellucido ducto vel disrupto, oriri asseritur. *De sensilitate tendinum* porro agitur, quae iisdem vix conceditur: argumenta tamen noua nulla inuenimus, sed ea tantum, quibus iam alii vsi sunt. p. 39.

In quarta dissertatione varia argumenta pertractantur, ex quibus *repositio herniae foraminis ouatis*, ita peragenda iubetur, vt, incisione super os pubis per musculos rectos facta, alterum elapsi intestini extremum, digitis per vulnus immissis, in abdomen retrahatur. p. 61. In ano coalito anus artificialis eo in loco efficiendus est, quo colon parieti abdominis presse adiacet. Si clyster iniectus fuerit, aeger in latus dextrum, pedibus, quantum fieri potest, eleuatis, reponendus et nonnihil concutiendus est. Abscessus ad anum fistulis originem praebet, p. 62.

bet, ſi inciſura margini parallela ſit, aut turundae labia vulneris calloſa reddunt.

p. 71. Quinta diſſertatio *de trepanatione* quaedam proponit, quae vero praetermittimus, quo *de impedi-*
p. 99. *mentis calli*, de quibus in ſexta agitur, nonnulla proferre poſſimus. Haec ad tres claſſes referri poſſunt: ad cariem, corpora peregrina intercedentia, et ſolidorum aut fluidorum deprauationem. Cariei ſex ſpecies referuntur, quae, prout maiori, vel minori gradu differunt, magis vel minus impedimentum praebent, aut natura ipſa, aut artis ope vincendum. Corpora peregrina pro varia eorum magnitudine, figura, ſitu, indole, varias mutationes inducunt. Vitia corporis vniuerſalia vel euolutionem vaſorum ex oſſe in locum, vbi callus gigni debet, vel eorum in os mutationem impediunt.

p. 116. Septima diſſertatio *adiumenta calli* pertractat, quae maxime in eo poſita ſunt, vt impedimenta remoueantur. Cariem quod attinet, optimum eſt, ſi cauſſae, eam inducentes, vel praecaueri, vel remoueri poſſint: hoc autem non ſemper fieri poteſt. In tractatione de remouendis corporibus peregrinis varia monita deprehendimus, quae vim et directionem globorum ſclopetariorum, fracturas oſſium et reclinationem cutis in interiora vulneris
p. 128. euitandam concernunt. Opii vſus internus nonnumquam exemptionem corporis peregrini iuuat, dum ſpaſmum ſoluit. Quomodo vulnera aqua tepida, veſica bubula contenta, eluenda ſint, ne pus mora
p. 132. corrumpatur, prolixe deſcribitur. Diſpoſitioni demum vniuerſi corporis, ſi calli formationem, aut impedit, aut retardat, roborantibus externis et internis, ſuccurrendum eſt; ſcorbutus autem remedia, ei oppoſita, poſtulat. Cauſſa, calli formationem in grauidis impediens, fere in quadam ſanguinis

nis malignitate quaerenda videtur. Osteocollae demum vires, a chemicis in dubium vocatae, per tot veterum experientias vindicantur et recentiorum tentaminibus commendantur.

Vltima dissertatio *antliam muci* proponit, cuius ope mucus ex sanguine educi perhibetur, idque remedium efficeciſſimum in morbis non tantum chronicis, sed et inflammatoriis quam plurimis praedicatur. Aeger os et fauces frequenti gargarisatione, nares autem reciproca immissione et eiectione aquae tepidae eluere iubetur, posteaque omnes oris fauciumque anguli spongia, aqua tepida imbuta, et virgae balenariae affixa, leniter abstergere, donec nauseae sensus vel incommoda ex cohibita respiratione eum cessare cogant. Tempus, quo hoc remedium adhibendum est, per morbum ipsum definitur. Conducit simul vsus internus eorum, quae mucum resoluunt. Quare mercurii vsus in febribus inflammatoriis, primo stadio variolarum, tussi, conuulsione et nonnullis febribus intermittentibus magnis laudibus extollitur. Roborantibus autem et adstringentibus tum demum locus est, vbi maxima muci copia iam eliminata est.

p. 137

p. 145

p. 150.

III.

Fungi Carrarienſis hiſtoria. Patauii, apud Io. Baptiſtam Penada. 1766. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Tota haec tractatio epiſtolam ſiſtit, ad Cl. FERDINANDUM BASSIUM horti medici Bononienſis praefectum datam a IOANNE MARSILIO, Patauii botanices profeſſore, continetque deſcriptionem fungi cuiusdam, maximae molis, ſingulo anno iuxta Patauium certa ſede erumpentis. Hicce fungus nomen ſuum ſortitus eſt ab oppido quodam

Carraria, intra Patauini agri limites ſito, prope quod fungi huius ſpecies in ſolo ſabuloſo, ab adſtantibus tamen vitibus et pomis vdo quodammodo et herbido, ſponte prouenit. Figura eius ex oblongo globoſa eſt, magnitudo autem diuerſa. Ex duobus iſtis, quos, Auctor, addita icone, illuſtrauit, vnus in recenti ſtatu pondus duodecim librarum non ſuperauit, cum alter ad viginti quinque libras acceſſerit. Subſtantia eſt cellularis, limpido aquoſoque humore turgens, candidiſſima in fungo, recens auulſo, poſt vnum autem alterumue diem in rubrum colorem vergens. Craſſities exterioris corticis tanta eſt, vt inprimis, quando furni calore exſiccatur, tunicae exteriores adeo indureſcant, vt manicae exinde contra frigus a mulierculis parentur. Odor in recenti fungo aromaticus, ſuauis et recreans ab aliis dictus, Auctori grauis et nauſeoſus viſus eſt, qui in teterrimum mutatur foetorem, quando fungus vetuſtate corrumpitur. Etſi in recenti fungo breuiſſimum teretemque pediculum Auctor vidit, eum tamen oneri ſuſtinendo imparem, et tantummodo alimento, ad ſubſtantiam internam vehendo, comparatum putat, quin potius fungum mole ſua ſtare et telluri, veluti clauus, adhaerere, omnibusque radicibus eſſe priuatum autumat. De genere huius fungi vt et deſcriptionibus, ab aliis datis, multa habet, quae in vtramque partem diſputat. Ad lycoperdon TOURNEFORTII refert, illumque eam eſſe ſpeciem putat, quam idem TOURNEFORTIUS alpinum maximum cortice lacero dixit. Cum itaque, vti ex ſynonimis allatis videmus, verum ſit lycoperdon vulgare, alias bouiſta appellatum, non intellegimus, cur Auctor III. LINNAEUM reprehendit, hanc lycoperdonis ſpeciem TOURNEFORTII, ad ſuam bouiſtam referentem, cum ſola magnitudo hunc Carrarienſem fungum notabilem

notabilem quodammodo reddit, a vulgari autem bouiſta haudquaquam diſtinguat. Dubius eſt Noſter: num haec fungi ſpecies ab aliis ita ſit deſcripta, vt pro eadem hac poſſit haberi, praecipue, cum plerique et inter hos nominatim CLUSIUS, fungum hunc venenatum, nec eſui inſeruiens deſcribant; ex mente vero Auctoris, fungi hi Carrarienſis, vix auuiſi, teſſellatim conciduntur, et in craticula cum ſale et oleo frixantur, ſine vllo inde ſubſequente periculo. Praeter cibum itaque, cui hicce fungus inſeruit, eius etiam medullam, fomitis inſtar, ad concipiendum ignem aptari poſſe, nullus Auctor dubitat. Certiſſimum quoque in ſiſtendo vulnerum ſanguine eſſe remedium, affirmantibus iam tum BREYNIO, RAIO, aliisque concedit. Quae vero hactenus de fungi huius proprietatibus expoſuit, ea cuncta vel ex aliorum libris mutuauit, vel in ſpeciminibus, extra ſolum natale ad eum allatis, obſeruauit. Quo itaque fungi hanc ſpeciem in loco natali ipſo inueſtigaret, illuc ſe contulit, et cuncta ibi animaduerſa ſedulo et accuratius adnotauit, quae eo redeunt, vt fungus tantae magnitudinis, ſingulo anno in vno eodemque loco proueniat, et fixam quaſi propiamque ſibi conciliet ſedem, in qua in initio, oui circiter gallinacei magnitudine, conſpicitur, intra ſeptimum vero octauumque diem in tantum volumen commutatur.

IV.

Pathological inquiries and obſervations in ſurgery from the diſſections of morbid bodies, with an appendix, containing twelve caſes on different ſubjects. By RICHARD BROWNE CHESTON, Surgeon to the Gloceſter Infirmary. Gloceſter printed by R. Raikes 1766. 4 mai. pl. 20. tab. aen. 5.

i. e.

Diſquiſitiones pathologicae et obſeruationes chirurgicae ex ſectionibus cadauerum morboſorum collectae, cum appendice, quae duodecim caſus varii argumenti continet. Auctore RICHARDO BROWNE CHESTON.

Cl. Auctor, qui munere chirurgi noſocomii Gloceſtrienſis fungitur, quinque capitibus varias obſeruationes de emphyſemate renum et hepatis abſceſſibus, hydrope ouariorum ac vteri et fungo articuli genu ex ſua praxi collegit, quas ſectionibus cadauerum illuſtratas, variisque adnotationibus auctas, hic nobiſcum communicat.

p. 1. Primum caput comprehendit hiſtoriam emphyſematis, ex fractura coſtarum orti, qua occaſione Cl. Auctor ſimul in modum inquirit, quo eiusmodi malum lethale fieri ſolet. Cauſſa haec eſt. Ictum ſatis validum iuuenis quidam in pectus acceperat, ſtatimque tuſſi valida, lipothymiis frequentioribus metuque ſuffocationis corripiebatur. Pulſus irregularis erat, et nonnunquam plane non ſentiebatur: Accedebat emphyſema, viciniam loci laeſi occupans, ex quo aër, frequentioribus vulnusculis

culis inflictis, emittebatur. Attollebatur tamen iterum tumor, quoties tuſſis accedebat. Venaeſectiones repetitae breue tantum leuamen afferebant; pulſu enim debiliore reddito, aeger tandem, aliquot praeterlapſis diebus, ſuffocabatur. Sectio cadaueris oſtendebat, ſecundam et tertiam coſtarum inferiorum dextri lateris fractam, atque intercoſtales muſculos, pleuram et pulmones eiusdem lateris a fragmentis coſtarum diffractarum laeſos fuiſſe. Nullum ſerum aut ſanguis in cauitate thoracis extrauaſatum erat, neque pulmones emphyſemate turgebant, ſed collapſi et ſolito duriores deprehendebantur. Cordis vero ventriculi, auriculae et coronaria vaſa multo ſanguine admodum diſtenta erant. Ex quibus phaenomenis Auctor Cl. colligit, in eiusmodi caſu non ſemper mortis cauſſam in pulmonum emphyſemate poſitam eſſe, quin potius aerem, qui ſub inſpiratione pulmones ingreditur, eorum veſiculis haud diſtentis, mox e vulnere iterum ſolere egredi. Pulmonibus vero non rite diſtentis, ſanguis etiam per illos non transgreditur. Ex quo etiam factum eſt, vt nulla in illo, quem modo retulimus, caſu haemorrhagia acceſſerit, ſed ſanguis in cauitatibus cordis ſtagnans mortem ſenſim effecerit.

Secundum caput de abſceſſu renum ex veſicae calculo inſcribitur. In eo hiſtoriae aegrorum traduntur, qui calculo veſicae laborabant, vrinamque purulentam ſimul excernebant, ob abſceſſum, in renibus collectum. In his ex irritatione veſicae ſpaſmodicam in vaſis renum contractionem, atque ex ea demum renum inflammationem ortam eſſe, Cl. Auctor putat, idque probare annititur caſu, in quo ex renum calculo veſicam quoque valde affectam obſeruauit. Putamus tamen calculum, in rene p. 9.

natum, antequam ad veſicam deſcenderit, inflammationem et abſceſſum producere quoque potuiſſe. Probant porro Cl. Auctoris obſeruationes, licet magnus in rene abſceſſus adſit, tamen nonnunquam nullum pus cum vrina excerni, neque ſemper per hoc ipſum pus, quod cum vrina effluit, abſceſſum minui, cum papillulae renales tantum tenuiores puris partes transmittant, craſſiores vero remaneant.

p. 21. Tertium caput de abſceſſibus in hepate agit. Primo exponit Auctor Cl. de iis, in quibus puris pars per poros biliarios deſcendit, in quorum vno, inciſione exterius facta pureque emiſſo, aeger ſanatus eſt, cum in alio e contrario, licet puris magna pars emitteretur, mors tamen auerti haud poſſet. Deinde demonſtrat, pure per ductus hepaticos in duodenum deſcendente, malum tolli prorſus non poſſe, cum tenuior tantum pars reſorbeatur, craſſior vero remaneat et acrimonia ſua hepatis carnem deſtruat. Poteſt vero, pure per aluum excreto, tamen abſceſſus feliciter terminari, ſi ſcilicet hepar inteſtino colo adhaereat, atque, tunicis huius inteſtini perforatis, magna puris copia vna vice in illud effundatur. In altera huius capitis ſectione Cl. CHESTON agit de abſceſſibus in hepate, qui caluariae fracturis et capitis vulneribus ſuperuenire ſolent. Notum eſt in aegris, qui ex caluariae fractura perierunt, ſaepius poſt mortem abſceſſus in hepate reperiri, quorum originem multi tribuere ſolent metaſtaſi puris, ad hanc partem factae, ita vt MARCHETTIS dolorem partis poſticae et lateralis colli, qui ictum ſaepe ex eius violentia et concuſſione partium ſequitur, (licet nonnunquam in hepatis inflammatione, quoque ex pleurae cohaeſione cum diaphragmate oriatur) pro ſigno puris, ex capite ad hepar

p. 32.

hepar deſcendentis habeat. Hanc vero ſententiam Cl. Auctor ideo reiicit, quia ſaepe eiuſmodi abſceſſus fiunt, vbi vel plane nullum pus, vel parua tantum eius copia in cranio collecta eſt, aut riuntur poſt ictum, quo nulla laeſio in capite facta erat. Neque magis fauet opinioni Cl. BERTRANDI, qui horum abſceſſuum originem ex circulatione ſanguinis turbata, regreſſuque ſanguinis ex hepate impedito, deducit, cum ratio non pateat, cur non per hanc ipſam cauſſam alia quoque abdominis viſcera laedantur. Hinc ſuam tandem Cl. Auctor proponit ſententiam atque docet, capite vulnerato, in vniuerſum maxime turbari neruorum in reliquum corpus influxum, et actiones viſcerum abdominis, ad quas rite exercendas influxus ille requiritur; id quod vomitus bilioſi, qui capitis vulneribus ſuperueniunt, ſatis nobis declarare videntur. Hepatis vero actione laeſa, inflammatio et aliae obſtructiones ibidem naſci poſſunt et abſceſſus oriri. Ad quam rem corporis vniuerſi per ictum aliquem concuſſio multum quoque conferre poteſt.

Quarto capite Cl. Auctor de ſcirrho et hydro- p. 44.
pe vteri atque ouariorum diſſerit. Deſcribit vero primum morbi hiſtoriam et ſectionem cadaueris, in quo ouarium dextrum hydropicum et ex parte quoque ſcirrhoſum erat, altero nullo vitio affecto: ex quo ouario morboſo non ſolum pili ſed et dens caninus, cuidam cartilagineae parti inhaerens, protractus eſt. Putat tamen Cl. Auctor, pilos hoſce et dentem non foetus cuiusdam, in ouario retenti, reliquias fuiſſe, ſed pilos ex concretione corruptorum humorum natos eſſe, dentem vero ex inteſtino recto, vlcere ibidem nato, ad ouarium tranſiiſſe. Licet vero non negandum ſit, pilos quandoque

in ouario repertos esse, qui ex ipsa interna ouarii tunica propullulantes, non ad foetum pertinere potuerint *; dens tamen simul inuentus, ad reliquias foetus, ibidem retenti sensimque consumpti, omnino referri meretur **. Scirrhus ouarii fere semper tandem lethalis intestinorum inflammationis caussa existit, quae ex compressione harum partium a tumore oritur.

p. 60. Quod ad hydropem vteri in grauidis pertinet, addita est historia cuiusdam foeminae, in qua, durante grauiditate, quam ignorabat, tumore abdominis vehementer aucto, periodicus aquae effluxus, quinque vel sex septimanarum spatio semper interiecto, tumoreque iterumque de nouo generato, aliquoties obseruatus est. Menses semper, consueto more, profluebant, et semel quoque ex papilla mammae magna seri copia emanabat. Partus, consueto tempore factus, morbum non sanabat, sed periodici hi effluxus ad alterum vsque grauiditatem durabant, qua oborta, malum quoque cessauit, nec vnquam postea rediit. Putat vero Noster aquas retentas fuisse spasmodica quadam orificii vterini contractione, et, aquis euacuatis, conceptum omnino fieri potuisse. Fusius quoque explicat, qua ratione intra vterum et chorion aquae colligi et sine abortu euacuari queant.

p. 71. Vltimum tandem caput dissertationem de eo morbo articuli genu continet, quem Angli tumorem album *white swelling* vocare solent. Vti in vniuersum articulorum morbi periculosi sunt, ita praecipue

* vid. POL. GOTTL. SCHACHERI Progr. de ouario in *atheroma pilosum mutato*, ad dissertationem SARTORII *de vsu hydrargyri interno*, Lipsi. 1735. 4. c. fig.

** vid. *Edinb. Med. Ess.* T. II.. n. XVIII. Conf. quoque HALLER *Elem. Phys.* T. VIII. p. 46.

praecipue ille, de quo hic agitur, morbus minus felicem exitum habet. De eo autem ita Noſter diſſerit, vt primo fabricam articuli genu in genere deſcribat, et deinde breuiter recenſeat ea, quae alii de morbo hoc diro et ſaepius lethali ſcriptis mandata, reliquerunt. Veteres hoc tumoris genus cum ſpina ventoſa aut paedarthrocace confundebant, ita vt ex Auctoris mente WISEMANNUS Anglus primus ſit, qui de hoc morbo accuratius ſcripſerit, eique nomen tumoris albi (*white ſwelling*) impoſuerit. Poſt eum TURNERUS primo docuit, aegros, qui hoc morbo laborant, ſemper quoque aliis morbis glandularibus affectos eſſe, quod tamen non in omnibus, ita ſe habere Noſter demonſtrat. Recentioribus demum temporibus Cl. Viri MONRO, SYMSON et REIMARUS de eo ſingulari ſtudio egerunt. Licet enim ex multorum quoque aliorum Auctorum obſeruationibus, quae publici iuris factae ſunt, conſtet, illos hunc morbum vidiſſe, tamen ab iis, vt plurimum deſcriptus fuit ſub aliis nominibus, ancyloſis ſcilicet, ſarcomatis, oedematis, tumoris flatulenti, ganglii etc. His praemiſſis, Cl. Auctor ad ipſius morbi et eius ſymptomatum deſcriptionem progreditur. In initio dolor tantum obſcurus et debilitas articuli genu obſeruatur, accedente tandem leuiore in patellae confiniis tumore, quo tamen tempore, vt plurimum aegri medicique rheumatiſmum tantum articulum hunc occupaſſe, perſuaſum ſibi habent. Increſcente vero malo, tendines quoque indurantur et intumeſcunt, totumque membrum breuius fit. Si malum ex metaſtaſi acrioris cuiusdam materiae ad hunc articulum ortum duxerit, celerius increſcit, quod etiam in ſcrophuloſis accidit. Totus vero articulus ſenſim intumeſcit, neque amplius moueri poteſt, atque dolor, qui in ipſo quaſi oſſe profunde ſentitur, p. 78.

aegrum vehementer excruciat. Tandem integumenta, in quibus nullum antea vitium adparebat, adhaerent, et dolore in dies aucto, ita exeduntur, vt tenuis et ichorosa sanies profluat, sero lactis, quod caseosum adhuc coagulum continet, similis. Si inflammatio vehementior fuerit, pus crassum nigrum foetidumque excernitur. Vlcere vero hac ratione patefacto, nullum tamen leuamen obseruatur, sed doloribus auctis et febre accedente, aeger vel ex hac febre, vel ex diarrhoea colliquatiua perit, nisi, amputato loco affecto, fomes quoque morbi tollatur.

p. 80. Anatomica membri amputati aut post mortem demum aegri dissecti disquisitio, Cl. Auctorem docuit, integumenta crassiora facta esse telamque cellulosam, sub iis positam induratam et gelatinoso humore repletam. Ligamenta vero semper multum crassiora reddita, ossa saepius carie affecta, et cartilagines in mucum quasi dissolutae, adparent, licet quoque nonnunquam in aliis nullum in osse vitium animaduerti possit. Vt plurimum sola tibia carie affecta est, neque haud raro in iunioribus, dissoluta cartilagine, quae tibiae epiphysin cum diaphysi coniungit, harum partium separatio a se inuicem

p. 83. obseruatur. Ex his vero omnibus concludi potest, praecipuam huius mali sedem in ligamentis positam esse, vasis scilicet, quae ipsam ligamentorum substantiam adeunt, obstructis. Hinc in initio discutientia, acetum cum sale ammoniaco et similia Noster suadet, atque in aucto malo, si tendines iam induruerint, caustica quoque insignem saepius vsum attulisse monet *. Vt plurimum acrior materia, quae

* Vidimus moxae adplicationem in hoc casu vtilissimam fuisse. Relicta vero fuit ancylosis, ex motu articuli, per longum tempus neglecto, orta:

quae in vasis ligamentorum haeret, inflammationem tandem excitat, aut, vasis disruptis, species hydropis articuli genu oritur, de quo morbo in vniuersum, eiusque et fungi articuli differentia a tumore albo vero fusius hic Cl. CHESTON disputat. Licet vero in initio hydrops articuli, qui ex extrauasatione humoris ortum ducit, similem curationem exigat, ac tumor albus, qui ex obstructione vasorum, quae in ligamentis articuli distribuuntur, nascitur; tamen, aucto malo, duo hi morbi omnino sedulo a se inuicem distinguendi sunt, cum incisio ligamentorum, quae in tumore albo magnam adferre noxam soleat, in hydrope autem articuli vtilitatem, quod historia aegri probat, qui die amputationis articuli morbosi iam constituto, leui facta ab ipso incisione humoreque in cauo collecto effluente, praeter medicorum exspectationem pristinam recuperauit sanitatem. Saepius incisione facta, cum humore, in articulo contento, partes quaedam albicantes densiores progrediuntur, quae vel, vti Noster putat, ex coagulo liquoris stagnantis oriuntur, vel, quod magis nobis arridet, cartilaginis quodammodo exesae frusta sunt. Iam vero ad explicationem symptomatum recensitorum Noster progreditur, docetque ligamenta quidem sensu destituta esse, atque eorum vulnera paruum tantum excitare dolorem; interim tamen inflammationem, lente in iis natam, nunquam, fere resolui, nec aptam suppurationem expectari posse. Ligamenta externa soluuntur in pulposam quasi massam, idque magis, quam ipsum ligamentum capsulare, quod diutius corruptioni resistit. Quodsi vero, eo exeso, liquor articularis quoque saniei, ex inflammatione ligamentorum ortae, admiscetur, tunc ea crassior, glutinosior, subalbida, mellique albo subsimilis excernitur. Punctio ad saniem emittendam

p. 93.

p. 97.

in

in interiore latere fieri debet, omnique ſtudio inflammatio praecauenda eſt. Latiore vulnere inflicto, aër, ad cauum articuli penetrans, ſynouiae effluxum ita promouet, vt aegri ex hoc ipſo malo
p. 109. pereant. His omnibus tandem Cl. Auctor plures obſeruationes addit, oſſiumque per hunc morbum laeſionem variis figuris explicat.

p. 119. Appendix duodecim obſeruationes in variis aegris inſtitutas, continet. Earum *prima* agit de hydrophthalmia, quae ex ictu oculi accidit. Punctione facta, quinque vnciae aquoſi humoris effluebant, turgensque eo oculus plane ſubſidebat. Poſt aliquot tamen dies niger isque foetidus admodum ichor effluebat, et aeger quinto ab operatione die moriebatur. Sectio cadaueris docebat, cariem fundum orbitae occupaſſe, atque, oſſe deſtructo, ipſius cerebri partem plane denudatam et ſphacelo corruptam eſſe. Ex hac obſeruatione colligi poteſt, chirurgum in hydrophthalmia nunquam permittere debere, vt tumor nimium increſcat, quoniam os
p. 123. tum facile quoque deſtruatur. *Secunda* continet hiſtoriam et ſectionem cuiusdam aegri, in quo polypoſae concretiones in cordis ventriculis repertae ſunt; velut *tertia* tradit hiſtoriam puellae, tuſſi et cordis palpitatione affectae, in qua pulmones, ad pleuram firmiter accreti, deprehendebantur. Cum DIEMERBROECKIUS putet, tertiam hominum partem eiusmodi adhaeſione laborare, et experientia doceat, eam reperiri in multis, qui a mala illa confirmatione nulla incommoda paſſi ſint; Cl. Auctor oſtendit, duas huius coniunctionis ſpecies eſſe, cum illa vel mediante denſa aliqua coriacea ſubſtantia fiat, vel pulmonum ſubſtantia ipſa firmiter cum pleura concreta ſit. Prior ſpecies nulla mala ſymptomata producit, poſterior vero, ſi paullo maior eſt,

eſt, reſpirationem omnino impedit. *Quarta* obſeruatio hiſtoriam abſceſſus in lumbis cum carie vertebrarum, ex ictu, in hanc regionem accepto, orti continet. p. 128. Eiusmodi malum ſaepius quoque obſeruatur in baiulis, qui magna pondera leuare ſolent, muſculis et potiſſimum pſoa, aut, vti nos putamus, ſaepius ligamentis quoque vertebrarum laeſis, id quod *quinta* obſeruatio, quae ſimilem fere hiſtoriam tradit, magis adhuc confirmat. p. 130. *Sexta* eſt de calculis in veſica et maiore quadam calculoſa concretione in renibus pueri reperta. p. 132. *Septima* et *octaua* de dyſuria puerperarum lethali inſcribitur. p. 134. 136. In vna puerpera vterus ſcirrhoſus, cuius fundus non extendi poterat, in pelui dilatatus, collum veſicae compreſſit, et ad finem quarti menſis grauiditatis gangraenam veſicae & mortem induxit. In altera vterus veſicae mediam partem ita compreſſit, vt duplex naſceretur cauitas ſuperior et inferior, in quarum ſuperiorem catheter, cuius ope vrina ex inferiore emittebatur, penetrare non poterat. *Nona* teſticulus ſcirrhoſus, *decima* vero induratio telae celluloſae ſcroti, ſine omni aquae collectione et teſticulis ipſis, nullo morbo vitiatis, deſcribitur. p. 137. 140. *Vndecima* vero caries tibiae ex cauſſa interna, in qua os emollitum erat. Emplaſtrum mercuriale, cuti nondum laeſae applicatum, in hac aegra dolores ventriculi excitauit, quae, ademto illo, ceſſabant, iterumque admoto, redibant. p. 141, *Duodecima* tandem agit de abſceſſu hepatis, capitis vulneri ſu perueniente, quam obſeruationem Cl. Auctor ſententiam de eorum origine ſuperius propoſitam, neutiquam refellere oſtendit, ſed potius ex ea confirmat, abſceſſus hos oriri ex neruorum actione, per capitis laeſionem turbata. p. 142.

V. *Die*

V.

Die electriſche Medicin, oder die Kraft und Wirkung der Electricität in dem menſchlichen Körper und deſſen Krankheiten, beſonders bey gelähmten Gliedern, aus Vernunftgründen erläutert und durch Erfahrungen beſtätiget von IOHANN GOTTLIEB SCHAEFER, M. D. *Regenſpurg, verlegts Johann Leopold Montag*, 1766. 4. pl. 11½. cum praefatione, et vna tabula, aeri impreſſa.

i. e.

Medicina electrica, ſeu virtus et efficacia electricitatis in corpore humano et morbis eius, inprimis in membrorum reſolutione ratione et experimentis confirmata, a IO. GOTTLIEB SCHAEFER.

Quem ante quatuordecim annos ſuper hoc argumento ediderat libellum Cl. Auctor, nunc nouis acceſſionibus ditatum, publico reddit. Duas autem ille partes complectitur, alteram hiſtoricam et theoreticam, practicam alteram. In priori varia ſunt congeſta, neque lectu iniucunda, neque ſcitu inutilia, quae hiſtoriam variasque dotes electricitatis ſpectant, et partim in aliis ſcriptoribus diſperſa ſunt, partim ex ipſius Cl. Auctoris experimentis depromta. Huc referimus deſcriptionem apparatus ad onerandam lagenam, cuius clariorem notionem exhibet figura, aeri impreſſa. Mutationes in corpore humano, electricitati ſubiecto, oriundae, quarum et alii mentionem fecerunt, non potuerunt non, in id inducere animos medentium, vt eam proficuum aduerſus varios morbos remedium augurarentur.

p. 4.

p. 25.

rentur. Pulſus enim augetur, calor naturalis intenditur, ſecretiones et euacuationes promouentur: ex quibus virtus electricitatis, excitandi perſpirationem et reſoluendi maſſam ſanguinis, probatur. Poteſt etiam irritare partes externas, et vice epiſpaſticorum aliorumque huius generis remediorum fungi, locumque habere in iis morbis, vbi his vti oportet. His ſtabilitis, in parte practica primum aliorum obſeruationes de morbis, per electricitatem curatis, adducuntur, qui potiſſimum ad paralyſin, iſchiadicum malum, otalgiam, cephalalgiam, rheumatiſmum, tumores ad articulos, ophthalmiam ſeroſam, tremores artuum. arthritidem ſpaſmos redeunt. His quaedam aliae adduntur, antea publici iuris non factae, quibus tandem ipſius Cl. Auctoris experimenta ſubnectuntur. Spectant haec iterum paralyſin, arthritidem, hiſque cognatos morbos. Poſtea reuelluntur obiectiones variae aduerſus vſum medicum electricitatis, et diſquiritur, quomodo vſus hicce praeſertim in paralyſi exſpectari queat. Auxilia externa, ad hunc morbum praecipua, ſunt fuſtigationes, vrticationes, frictiones, rubefacientia, quorum idem ac electricae ſcintillae effectus eſt, et quidem maior, quod non, vt illa, partes tantum, quibus applicetur, ſed totum corpus mouet ac mutat. An medicamenta electrica vi imbui eaque efficaciora reddi poſſint aut debeant? tentaminibus confirmandum eſt, theoria certe non repugnat. Neque vero eadem ſemper electricitatis ſalubritas exſpectanda. Tutior eius vſus eſt ac melior in iuuenibus, quibus viſcera bona ſunt, nec mala longam moram traxere, quam in iis, quibus abundat ſanguis, neruique ſenſibiliores aut debiliores ſunt, aut prouectior aetas, aut virium inopia, aut cerebrum humoribus obſeſſum; in his enim forte facilis apoplexia aut paralyſis inducuntur.

p. 29.

p. 41.

p. 55.

p. 64.

p. 78.

duci poterit, quam, ſi adfuerit, curari. Neque
p. 80. conducit, ea vti in aegrotis, haemorrhagiis obnoxiis, neque in ſenſibilioribus aut tenerioribus, neque in infantibus. Iuuat etiam, antea ſanguinis molem venae ſectione minuere, partes nociuas euacuantibus varii generis expellere, et roborantibus remediis vires ſuſtentare. Vtrum com-
p. 82. motio electrica ſanis conueniat, nec ne? Cl. Auctor ita definit, vt ſanos ab eius crebriori vſu aeque ac ab alia quauis medicina abſtinere ſuadeat. Sub finem machinam, qua vtitur in tractandis aegris, deſcribit; quod cum nec apte ſatis paucis verbis contrahi, nec abſque figura perſpicuum reddi poſſit,
p. 84. lectores ad opus ipſum amandamus, et tantum notamus, concuſſionem vel ad muſculos membri paralytici, vel ad principia ramorum nerueorum, ad illos tendentium, dirigi, eam ad quartam aut dimidiam horae partem continuari, et ſubinde partem affectam pannis calidis fricari, ſuffimigiisque roborantibus foueri debere.

VI.

Diſſertatio inauguralis medica de aqua Pyrawarthenſi, quam publicae diſquiſitioni committit FRANCISCUS TUMA, Vindebonenſis 1765. Viennae, typis G. L. Schulzii, 8. pl. 2. *

§. I. Quum parum contineat noui haec diſſertatio, breues in enarrando erimus. Vicus, quo profilit hic fons, *Pyrawarth* dicitur, et quinque lapides Vienna diſtat. Regio circumiacens, nec petris, nec mineris diſtincta eſt. Aqua pellucidiſſima prouenit,

* Quum diſſertatio haec numero paginarum careat ordinem paragaphorum elegimus.

prouenit, vaſeque clauſo agitata, nihil emittit aeris. §. 3.
Cum ſpiritibus acidis mineralibus nullam ſenſibilem prodit mutationem, cum alcalinis tamen manifeſtam. Solutiones metallicae, huic aquae inſtillatae, §. 4.
diuerſas praebuere apparitiones, quarum primaria eſt, quod ſolutio mercurii, in ſpiritu nitri facta, ſedimentum flauum dederit, elotusque ex hoc ſedimento puluis aurantium aſſumſerit colorem, qui, aurichalco polito affrictus, argenteum ei induxit colorem. Sal leni coctione ex duodecim libris huius §. 8.
aquae paratus, dimidiam non ſuperauit drachmam, indolisque ſalis fuit inedii, ſaporisque amari. Terra vero, affuſo oleo tartari, quod aiunt, per deliquium, acquiſita, leuiſſima, albiſſima et tenerrima fuit. Eiusdem naturae reperta fuit quoque terra, §. 10.
quam limus dedit, qui in vannis ligneis ſubſidet, quibus aqua, pro balneis calefacta, infunditur, cui etiam accedit cruſta terrea, quae ahenis, quibus aqua coquitur, adhaeret.

Ex praemiſſis eiusmodi experientiis Cl. Auctor §. 12.
concludit, aquam *Pyrawarthenſem* continere ſalem medium, baſi terrea praeditum, et principio phlogiſtico inquinatum, acidum autem, quod ſalem medium conſtituit, eſſe naturae vitriolicae, terram vero alcalinae indolis, horumque ex connubio fieri ſalem mineralem ſaponaceum. Ceterum deſtitui principio elaſtico aereo, ſulphure, ferro et alcali minerali: de quo vltimo ideo dubitamus, quod ſolutio mercurii ſublimati, vti ſupra comperimus, flauum deiecerit ſedimentum.

Pauca adhuc adiicit Cl. Auctor de huius aquae §. 13.
vſu medico, tam interno, quam externo. Prior conſiſtit in virtute primas purgandi vias, vrinam mouendi et obſtructiones ſoluendi: alter differt pro gradu caloris, quo balnea adhibentur.

VII.

PAULI ADAMI PANNONII, P. S. M. D. G. C. Hydrographia comitatus Trencſinenſis publicae diſquiſitioni commiſſa. 1766. Viennae typis viduae G. L. Schulzii, 8. pl. 6. ſine praefatione.

In praefatione praemiſſa Cl. Auctor calculum fat amplum fontium Hungariae medicatorum exhibet, quos inter multi fontes calidi, ſeu thermae, plures tamen frigidi ſalſi & acidulares reperiuntur: quare non immerito ſperat, in tanto numero poſſe dari aliquos, qui, facta praeuia inueſtigatione, *Spadanis*, *Selteranis Caroſinisque* poſſint ſubſtitui.

p. 1. Praefationem excipiunt praelegomena, quae comitatus *Trencſinenſis* ſitum, fines, montes, mineras, aerem fluuiosque, quorum princeps *Vagus* dici-
p. 10. tur, adumbrant atque delineant. Diuidit *Hydrographiam* ſuam *in duos ordines* Cl. Auctor. *Primus* agit de aqua communi, ſeu inſipida in genere. Sub hac comprehendit aquam fontanam et fluuiatilem, quae rurſus differt ſecundum loca et terras, quibus ſcaturit, et mollis leuisque, vel dura eſt. Ad detegendas has aquarum differentias, ſigna et crite-
p. 13. ria indicat, quibus cognoſci queunt. Mollis ſcilicet aqua ad hydrometrum etiam leuior reperitur, praeſertim autem carnes duriores, legumina, piſces, fumo induratos, facilius atque citius coquendo reddit molliores, integre etiam ſaponem ſoluit, linteamina ſpurcitie melius purgat, in genere autem artificibus operariisque gratior vtiliorque eſt, quare ab illis quoque expetitur. Dura contra aqua contrarios edit effectus, praeterea ſyrupum violarum marino tingit colore, ab affuſo oleo tartari per deliquium lacteſcit; a ſolutione ſachari ſaturni turbatur et ſedimenta terrea deſicit. Ad has pertinet

aqua

aqua putealis; ad illas aqua, atmoſphaerica Cl. Auctori dicta, vt eſt pluuialis, n ualis, roralis et grandinalis, item nebulae et pruinae. Vbi tenendum, aquam, quo puriorem et leuiorem, eo ſaniorem eſſe, omniumque diuerſiſſimis mortalium naturis conuenire.

Sequitur *ſecundus ordo*, qui aquas medicatas ſeu ſapidas, complectitur. Sunt hae tum calidae, tum frigidae. Calidae oriuntur, ſi aquae pyritis in itinere ſub terra occurrunt. Eaedem hae aquae, ſi per longos terrae meatus ante feruntur, quam proueniunt, calorem amittunt, et acidulae euadunt, quae, ſi prope caloris originem prorupiſſent, thermae forent. Sub hac ſolutione pyritarum halitus quidam acido ſulphurei ſe expediunt, et partim aquis fugacem illum acorem impertiunt, partim moleculas ferreas arripiunt, et cum iis ſpeciem quandam vitrioli martis volatilis in aquis conſtituunt, donec particulae hae ferreae, halitu illo profugo facto, ſub forma ochrae rurſus praecipitantur. Et in hac, quam dicunt, praecipitatione, quam ſaepius iam intra terrae meatus accidere putat Cl. Auctor, rationem ſimul quaerit, cur in pluribus thermis et acidulis nihil ferri deprehendatur, quod de thermis quidem, minime vero de acidulis verum eſſe videtur. Fixius autem acidum, decompoſitione pyritarum ortum, ſi terrae alcalinae ſubtili obuiat, natrum, ſi alcali minerali terreſtri, ſalem Ebshammenſem et Selteranum, ſi ſubtiliori, ſalem mirabilem GLAUBERI conſtituit. p. 27.

Praemiſſis his generalioribus theſibus, therma-rum *Trencſinenſium* et *Raieczenſium*, tanquam primariarum in comitatu *Trencſinenſi*, examen Cl. Auctor ſuſcipit: cui nonnullarum acidularum in eodem comitatu proſilientium adiungit perueſtigationem. *Trencſinenſes* thermae, quae etiam *Teplicenſes* p. 31.

 dicuntur,

dicuntur, multis retro iam annis famoſae fuere, in cuius teſtimonium nonnullos adducit ſcriptores, huc thermas de induſtria pertractantes, quos inter ANDREAS HERMANNUS primarius et eruditiſſimus eſt, qui peculiarem *Commentariolum Hiſtorico-Phyſico-Medicum de thermis Trencſinenſibus* 1724 *Lipſiae* edidit. Refert nunc Cl. Auctor quasdam apparitiones, quae illi inter examinandas has aquas obuenerunt, vbi hoc ſingulare eſt, quod aqua, antea limpidiſſima, poſt aliquot horas in balneis et locis, quibus moratur, turbetur, et puluerem flocculentum coloratum, ex albo luteolum, deponat, quem ſulphur thermarum praecipitatum eſſe Cl. Auctor
p. 40. perhibet, contra communem opinionem thermographorum. qui ſulphur non niſi ſublimando fieri, et extra aquas ſolum deprehendi, dixerunt. Thermometro et hydrometro etiam examinauit aquas, et fontis *potatilis* calorem ad 104 gradum thermometri FARENHEITIANI aſcendere; hydrometro autem aquam hanc mineralem aqua ſtillatitia duabus lineis eſſe
p. 49. grauiorem inuenit. Ex variis itaque factis et adductis experientiis, liquido apparere aſſerit Cl. Auctor, in aquis thermarum *Trencſinenſium* contineri: ſpiritum ſulphureum elaſticum, verum naturale ſulphur, ſalem communem et terram calcaream. Ab hac quoque terra virideſcere ſyrupum violarum, mercurium ſublimatum flaueſcere et ſolutiones metallorum praecipitari credit. Virtutes praecipuas
p. 52. thermarum a calore, humano calori fere attemperato, et ſulphure copioſiore expectandas eſſe, rationibus et experientiis probat, quare eas in morbis arthriticis, paraliticis etc. commendat, quid quod in recenti phthiſi, et non conſummato hydrope, praecipue anaſarca, ſalutares praedicat: vſum autem earum internum in morbis primarum viarum praeſertim ſuadet.

Thermas

Thermas *Raieczenſes* et aquas tepidas *Belu-* p. 57.
ſienſes ſimili ratione pertractat, et in prioribus paucum elaſticum aerem, ſalem medium, ſali mirabili Glauberiano fere ſimillimum, alcali minerale, et terram alcalinam inuenit: in poſterioribus vero copioſiorem elaſticum ſpiritum mineralem, ſulphur p. 67,
vaporoſum, alcali minerale, et terram margaceam detexit.

Progreditur ad acidulas comitatus *Trencſinen-*
ſis, quarum numerus ad vndecim diuerſos fontes p. 73.
aſcendit, inter quos *Chocholnenſis* acidula praecipua eſt, quia a fonte *Spadano*, *Pouhont* dicto, paululum differre, Cl. Auctori videtur. Poſtquam omnes has acidulas, tam phyſice, quam chemice, breuiter exa-
minauit, ad vires et vſum generalem praeceden- p. 81.
tium thermarum acidularumque procedit, et tandem rationem iisdem vtendi adiicit.

VIII.

Tal innehållande några Anmärkningar om Inſecterne, hållet för Kongl. Vetensk. Academien, den 7. martii 1764. af Commiſſärien CARL CLERCK, då han intog ſit rum ſåſom Kongl. Academiens Ledamot. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius. 1764. pl. 1. 8 mai.

i. e.

Sermo complectens obſeruationes quasdam de inſectis, coram Reg. ſcientiarum academia habitus, quum in numerum R. academiae reciperetur, Auctor CAROLO CLERCK.

Paucis poſtquam Cl. Auctor, cui eximium opus de araneis Suecicis, aliudque praeſtantiſſimum

de inſectis lepidopteris debemus, de difficultatibus, quibus ob copiam varietatemque detegendorum naturae ſcientia premitur, egerit: miſcellaneas quasdam animaduerſiones in inſectis factas, nobiſcum communicat. Horum antennas nonniſi odoratus organa eſſe exiſtimat, quod in iis ex coleopterorum tribu, quorum antennae clauа fiſſili inſtruuntur, praecipue manifeſtum redditur. Inſidentes enim ex volatu floribus, laminas clauae mox aperiunt, mox claudunt, vt gratum refrigerium pulmonibus afferant, prout equus, motu nimio agitatus, nares ſuas mouet. Eadem functio quoque in ichneumonibus apparet, qui oua ſua deponentes in laruas, aliorum inſectorum antennis locum ſcite explorant.

Reliquae obſeruationes ad aranearum hiſtoriam pertinent. Inter has quarundam meminit, quas, quamuis olim ab illo viſae fuerint, nondum ſatis ſibi cognitas habet, vt alii ad earum ſcrutinium excitentur. Variaque et hic de vi, qua in proprium genus ſaeuiunt, leguntur. Maxime autem memorabilis eſt narratio de aranea quadam, phalangii generi adſcripta, quae in pini truncum motu retrogrado irrepit, muſcam autem percipiens, repente euolat, eamque, etſi volatui intentam, capit, et ipſa ſecundum arcum circularem, ope fili affixi, verſus truncum relabens, praedam dein ad nidum, ſibi paratum, retrahit.

IX.

Tal, om en Svensk Soldats föda i Fält; hållet för Kongl. Vetensk. Academien, den 2. maii 1764. af PEHR ZETZELL, M. D. och Fält-Medicus vid Kongl. Arméen. Då han uphörde at vara Praeſes. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius, 1764. 8 mai. plag. 2.

i. e.

Sermo de militum Suecicorum alimentis in caſtris, coram academia Reg. ſcientiarum d. 2. maii 1764. habitus, quum praeſidis munere decederet, a PETRO ZETZELL.

Non tam in eo, prout titulus ſcriptionis huius indicare videtur, Cl. Auctor verſatur, vt alimenta, quae iamiam in caſtris Suecorum adhibentur, exponat, quam vt conſilia ſuppeditet, quibus ſanior victus, et vitae generi, cui miles adſtringitur, accommodatior, comparari poſſit. Conſideratis igitur generatim alimoniae variis iſtis generibus, quae corporis noſtri naturae magis vel minus opportuna ſunt, ad ea procedit, quae pro ſingulari militum Sueciae indole praeſtantiſſima iudicat. Ea vero affirmat, iſtos eſſe, quamdiu inter patrios lares viuunt, imbutos, vt humorum copia abundent eorumque blandorum et acrimoniae expertium, fibrisque inſtructi ſint firmioribus, licet pro prouinciarum, in quibus enati fuerint, diuerſitate, in arteriarum ictuum ratione, corporis agilitate et animi propenſione, diſcrimen ſubliteat. Sicco aere dum fruuntur, bene valent, humidum moleſte ferentes, et ingruente calida tempeſtate, morbis vacant.

p. 3.

p. 14.

cant. Verum vtut probe contra ſanitatis offenſas, quae in caſtris occurrunt, muniti videantur, paullo poſt variis morbis comprehenduntur, quorum cauſſas Cl. Auctor, comparans vitae iſtam rationem, quae in hibernis illis contigit, cum iſta, quam expeditionibus intenti, exercent, in vtriusque inſigni diſcrimine collocat. Ex morborum horum numero, quos ſecundum menſium anni ſeriem Cl. Auctor recenſet, memorantur febris remittens, diarrhoea, febris tertiana et quartana, tuſſis haud raro in phthiſin tranſiens, ſcorbutus. Inflammatoriis morbis raro tantum affliguntur; vnde patere Noſter exiſtimat, militum Suecicorum fibras laxas potius, quam tenſas eſſe et in ſanguineam denſitatem valde exiguam cadere, reliquaque mala eius naturae eſſe monet, vt iis praecipue, quorum fibrae laxae, tranſpiratio labefactata, et humores acres, obnoxii exiſtunt. Horum vitiorum rationem haberi iubet in praeceptis de commodiori victu ſubminiſtrandis.

p. 16.

p. 17. In id ideo generatim conſilia eius vergunt, vt militi Suecico alimenta probe nutrientia, putredini aduerſa, nec relaxantia, ſed roborantia potius praebeantur. Iuſcula hinc tenuia carnis, lac, fructus horeos, vegetabilia, allium, raphani radices, conchas, gammaros, ferarum carnes, carnes, ſale conditas et fumo induratas, haleces muria impraegnatos, caſeum vetuſtum, cibos adipe nimio praeditos, dulces, fructu, aquoſo ſucco ſcatentes, vt pruna, melones, cereuiſiam recentem etc. repudiat. Com-

p. 18. mendat contra ea oryzam, varia frumenti genera, legumina, radices farinoſas, caſeum recentem, carnem bouinam panemque mollem. Cibos vero farinaceos, exemplo Romanorum, Ruſſorum aliorumque militum, reliquis omnibus antiſtare arbitratur. Conſuetudinis tamen legibus ſimul obtemperari

perari vult. Quoniam igitur pacis tempore ter de die Suecicus miles cibo calido vtitur, qui ex pultibus ſeminum farinoſorum et leguminibus, carnibus, butyro, halecibus minoribus ſalitis, paneque molli conſtat: initio ſuperioris belli a neglecta hac norma multis morbis, inprimis lumbricorum inſidiis, vacauit. Excludi porro ab Auctore omnem eſcam, quae vel longiorem praeparationem expoſcit, vel difficilius comparatur, et facile corrumpitur, ſponte cognoſcitur. Tanquam condimenta neceſſaria p. 22. ſal, acetum aeſtiuo, et vinum aduſtum autumnali tempore, memorat; et corticis aurantiorum conciſi, cum pane miſcela valde illi placet. Breuibus quoque Auctor et quantitatem horum ciborum et praeparationis modum ſignificat. A. GUSTAVO I. orſus, GUSTAVI ADOLPHI, CAROLORUM X. XI. XII. FRIDERICI I. tempora ad bellum proxime geſtum vſque perſequitur, variaque in alimentis, militibus datis, damnanda, quoniam cibis, ſale conditis lardoque nimis indulſerunt, reperit. Eandemque cenſuram ad panem iſtum durum et aegre ſolubilem (knailar) extendit, quam initio adeo nouiſſimi belli adhuc in exercitu Suecico adhibuerunt, vſque dum, ſuaſu illuſtriſſimi EHRENSVAERD, ducis p. 29. exercitui tum praefecti, officinae piſtoriae exſtruerentur. Aeris iniuriis et cibis iſtis ſalitis tribuit, quod inter centum milites anno 1758, 18, ſcorbuto, et anno 1759, 15 ad 20, putrida febre et diarrhoea colliquatiua interirent.

(o)

X.

Philoſophical Transactions giving ſome, account of the preſent Undertakings, ſtudies and labours of Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. LIV. for the Year 1765. London, printed for Davis and Reymers 1766. 4. 2 Alph. tab. aen. 15.

i. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LIV. ad annum 1765.

p. 1. *Relatio de pholade conoide.* Cl. Auctore I. PARSONS. Species haec parum cognita a RUMPHIO ſub nomine *pholadis lignorum* deſcripta, a Cl. Auctore maxima in copia in ligno, ex quo nauis, ex India occidentali allata, conſtructa erat, deprehenſa fuit, vti aliae huius generis ſpecies in ſaxis vulgo latent. Inprimis autem haec a reliquis diſtinguitur figura, quae magis ad coni formam accedit, et a Noſtro pariter ac valuae, quibus teſta componitur, accurate deſcribuntur. Latior finis ſiue baſis ſemper interiorem partem ligni, in quo animal latet, reſpicit, apex exteriora, canalisque, qui ad exteriora pertinet, adeo anguſtus eſt, vt omnino pateat, animalia cum adhuc parua admodum eſſent, intus penetraſſe. Quomodo vero cauitas, in qua animal latet, ſenſim eo creſcente, dilatetur, huius rei vera ratio adhuc ignoratur.

2. *Relatio de foemella, quae aquae marinae potu tanquam remedio aduerſus inflammationem tumoremque*

labii

labii ſuperioris vſa eſt, ex litteris Cl. LAVINGTON ad Cl. HUXHAM. Foemina 16 annorum debilior atque debilitate eo magis affecta, quo celerius eius corpus increuerat, inflammatione tumoreque in labio ſuperiore afficiebatur. Cum vero ad eius curationem, quia ex ſcrophuloſo vitio profectus, putabatur, illa libram vnam aquae marinae per decem dies ſumſiſſet, ex inde tanta reſolutio ſanguinis in ea facta eſt, vt non ſolum vteri haemorrhagia et haemoptoe accederet, ſed et tandem ſanguis ex gingiuis et naribus perpetuo exſtillaret, ſicque ea haemorrhagia exhauſta, periret. Magna quoque brachii dextri pars gangraena corripiebatur, atque in toto corpore hinc inde maculae liuidae reperiebantur. Ex his Cl. LAVINGTON concludit, aquae marinae vſum in eiusmodi ſcrophuloſis, qui debilitate fibrarum & ſanguinis tenuitate laborant, omnino noxium eſſe, corticemque Peruuianum magis conuenire, quod praeterea confirmat Cl. HUXHAMI obſeruatio, ex qua patet, aquae marinae potum phlegmaticis tantum et iis vtilem eſſe, in quibus aluus ex eius vſu laxior fit, cum alias ſal marinus, in ſanguine retentus, exitioſam eius reſolutionem producat.

3. *Litterae* Cl. EDW. DELAVAL ad Ill. MORTON, quae continent *experimenta et obſeruationes de nexu grauitatum nonnullorum metallorum ſpecificarum et colorum, quos vitris largiuntur, aliorumque praeparatorum, quae ex iis fiunt.* ISAACUS NEWTONUS ex ſerie experimentorum, cum tenuibus ac pellucidis lamellis inſtitutorum, ac diuerſis eorum reflectendi ac refringendi lucem viribus obſeruatis, in eminente ſuo optices opere docuit: vires refringendi ac reflectendi lucem in corporibus eſſe denſitatibus eorum proportionales: omnium minime p. 10.

nime refrangibiles radios requirere maximas eos reflectendi vires; idque adplicuit etiam ad corpora, conſtantibus coloribus imbuta, ac proinde neceſſario ſequi, vt denſiores ſubſtantiae vi ſua reflectendi maiore reflectant minus refrangibiles radios, minus vero denſiores radios magis refrangibiles. Cum autem nemo adhuc luculenter experimentis comprobauerit, quid denſitas diuerſa corporum, ſeu eorum grauitas ſpecifica ad producendam colorum diuerſitatem conferat, Cl. DELAVAL id negotium ſuſcepit atque, ingenioſe excogitatis experimentis, theoriam Newtonianam ex aſſe veritati conuenientem deprehendit. Experimenta enim cum metallis, quorum grauitas ſpecifica aeque ac corpuſcula, ex quibus conſtant, cognita ſunt, eum docuerunt: colores eſſe denſitatibus proportionales, quod plurimis obſeruationibus, ex chemia repetitis, quarum magnam partem ipſe inſtituit confirmat. Ex iis enim patet, aurum metallorum denſiſſimum rubrum colorem vitro exhibere, plumbum, denſitate auro proximum, hyacinthinum vel aurantium colorem producere. Vitrum, argento imbutum, fieri flauum: cupro viride, ferroque tandem coadunatum coeruleum referre colorem, quod vltimum Auctor pluribus experimentis confirmat, ipſumque coeruleum colorem, qui ſmalti ope obtinetur, a ferro deducit. Platina autem cum ſpecificam ferme auri denſitatem obtineat, etiam rubrum colorem largitur, vti quoque mercurii color naturalis, licet ille vitro non vniri poſſit, ruber eſt. Viridem quoque vegetabilium colorem a ferreis particulis, in iis contentis et acido aereo ſolutis, Noſter deducit.

p. 39. 4. *Relatio de corpore extraneo in pulmones intruſo* Auctore GUIL. MARTIN. In muliere quadam fruſtum panis, butyro illiti, per aſperam arteriam

riam pulmones ingreſſum eſt, vnde vehementiſſima orta ſunt ſymptomata, quae venaeſectio aliquantum leuabat. Tandem abſceſſu in pulmonibus nato ſponteque rupto, materia per aſperam arteriam felici fato excreta eſt, mulierque ſanitatem recuperauit.

5. *Relatio de terrae motu Vlyſſipponenſi* d. 26. Dec. 1764. ex litteris Reu. SAMUEL CHANDLER. p. 43.

6. *Relatio de aethiope albo, regiae ſocietati commonſtrato*, in epiſtola Cl. IAMES PARSONS ad Ill. Comit. DE MORTON. Notum eſt, ex parentibus aethiopibus nonnunquam naſci infantes, perfecte albos, capitis pilis, lanae albae ſimilibus. Eiusmodi quoque pueri in Virginia, ex matre aethiope, quae grauida ex interioribus Africae allata fuit, nati, hiſtoriam Cl. PARSONS hic tradit, pluribusque demonſtrat, ne minimam quidem adeſſe ſuſpicionem, matrem eius cum quodam Europaeo rem habuiſſe. Addit quoque plures eiusmodi obſeruationes, ex quibus patet, talem coloris degenerationem nonnunquam in aethiopibus obſeruari. p. 45.

7. *Deſcriptio perfectiorum Teleſcopiorum*, quae Cl. P. DOLLOND excogitauit, ex litteris EIUSDEM ad I. SHORT. p. 54.

8. *Relatio de ſale quodam in Pico monte in inſula Tenerifa reperto.* Auctore Cl. W. HEBERDEN. Sal hoc in ſummo cacumine dicti montis vna cum ſulphure natiuo colligitur, atque per pluuiam non diſſoluitur. Refertur vero a Cl. HEBERDEN ad alcali minerale, quod, vti notum eſt, baſin ſalis marini efficit. Cum tanta in altitudine reperiatur, vix credi poteſt, illud ſublimatione quadam euectum fuiſſe, p. 57.

fuiſſe, ſed vero ſimilius eſt, terram, ibidem poſitam, ex aere attraxiſſe partes quasdam eiusdem conſtitutiuas, et ita peculiare hoc ſal productum eſſe. Addit Cl. Auctor varia experimenta chemica, ex quibus demonſtrat, alcali vegetabile maiorem affinitatem cum acidis habere, quam minerale.

p. 60. 9. *Breuis ac perquam facilis methodus* 1) *inueniendi ex dato aliquo mediarum lunationum numero tempus in iis contentum,* 2) *ex dato tempore numerum mediarum lunationum* 3) *reducendi genus ponderum,* Troy pounds *dictum ad* Aver du poiſe pounds *et vice verſa;* 4) *de terminandi quantitatem ac pondus aquae in plenis antliarum aliarumque machinarum hydraulicarum cylindris datae altitudinis datique luminis, vna cum potentiis, ad eam mouendam neceſſariis,* inuenta a I. FERGUSON.

p. 60. 10. *Commendatio quadrantis Hadleyani in contemplandis inprimis portubus, vna cum particulari eius vſu in deducendis in quibusdam caſibus in portus nauibus, declarato* a Cl. IOANNE MICHEL.

p. 79. 11. *Obſeruatio anatomica rarior* Auctore I. B. PAITONI ex Italica lingua translata. Mulier viginti quinque annorum a primis vitae annis tuſſi conuulſiua, et, quoties corpus vehementi quodam motu exercebat, aſthmate quoque afficiebatur. Regularem tamen menſtruorum fluxum experiebatur, cuius tempore ſemper tuſſis quodammodo ceſſabat. Tandem poſt vehementem corporis motum, cantatione et ſaltatione productum, ſubito reiecta per os parua ſeroſi et ſpumeſcentis liquoris copia, periit. Sectio cadaueris Auctorem Cl. docuit, cauſſam mortis poſitam fuiſſe in ſtatu pulmonum mire mutato. Lobus enim dexter in interiore ſua parte plane conſumptus

ſumptus erat, atque ſubſtantiae ſolidioris, qua componitur, aderat tantum ſeroſum aliquod liquidum inodorum, quod in ſacco membranaceo albo ſatis denſo continebatur, cuius ſacci ruptura mortis cauſſa fuerat.

12. *Deſcriptio perfectioris barometri portatilis excogitati* a Cl EDWARDO SPRY in litteris ad Ill. MORTON. p. 83.

13. *Hiſtoria tetani maxillae inferioris* (locked jaw) in litteris Cl. WOOLCOMBE ad Cl. HUXHAM. Plymuthi mulier quaedam leuiter a clauo ferreo in planta pedis vulnerabatur, quod tamen vulnus per duos tantum vel tres dies leuiorem excitabat dolorem, atque perfecte paruorum remediorum adplicatione curabatur. Poſt octo tamen dies mulier ſubito difficultate reſpirandi tandemque terribili illo ſymptomate maxillae ſpaſmo perfecte clauſae, correpta eſt. Hoc neque venaeſectioni, neque opiatis cedebat, ſed aegra poſt duos dies, vehementiſſimis conuulſionibus accedentibus, periit. Putat vero Auctor Cl. a prima laeſione neruos eo modo, affectos fuiſſe, vt, licet irritatio non ſufficiens eſſet ad curationem exterioris vulneris impediendam, ea tamen in neruis vehementiorum fataliumque motuum cauſſa fieret. p. 85.

14. *Deſcriptio Phaſiani Chinenſis pulcherrimi, cuius pictura et pennae ex vrbe Canton ad* Cl. FORTHERGILL *transmiſſae fuerunt*, Auctore Cl. GEO. EDWARDS. Eſt *Phaſianus luteus nigro punctatus facie rubra, occipite criſtato coeruleo* LINNAEI (Edit. Syſt. XII.). Magnitudinem Meleagridis Gallopauonis habet, atque ob ocellata puncta, in remigibus rectrici- p. 88.

rectricibusque reperiunda LINNAEO Ill. *Argus* dicitur. Sinenſes vero *Luen* vocant.

p. 91. 15. *Catalogus 50 plantarum horti Chelſeani, ſocietati Regiae exhibitarum a ſocietate Pharmacopaeorum per* I. WELLMER.

p. 95. 16. *Series experimentorum, quae ad determinandam ſuberis potentiam ſuſtentandi corpora ſpecifice aqua grauiora in ſuperficie diuerſarum aquarum, nec non ad inuenienda accurate reſpectiua pondera aquae marinae et fluuiatilis, corporis humani aliorumque corporum in fluidis* inſtituit Cl. I. WILKINSON. Sumtis quatuor ex probae notae ſubere compoſitis cubis, quorum ſuperficies vnius digiti quadratici erat, quorumque primus 49, alter $47\frac{1}{2}$, tertius 47 et quartus $46\frac{1}{2}$ et omnes 190 grana ponderabant, iisque cum plumbea moneta duarum vnciarum fune 11 grana graui coadunatis, vt totus apparatus grauis eſſet 916 grana; qui cum in Tamiſii aquas proiectus fuiſſet, in ſuperficiem aquarum prodiit, ac 190 grana ſuſtentabant in ea 916 grana plumbi. Quo relicto in aqua per 48 horas, vis ferendi corpora in ſubere aucta eſt, vt praeterea adhuc duo grana ſuſtentare poſſet. Sed cum diutius in aqua eſſet relictus iſte apparatus, per 48 horas non niſi 905 ſuſtentari volebat, adeo, vt eius vis 11 granis eſſet minor. In aqua marina, vt ex experimento quinto ſequentibusque patet, maior eſt ſuberis intumeſcentia, et maiora pondera in illa ſuber ferre poteſt. Experimentum eſt admodum ingenioſum, lectuque dignum, quo Auctor Cl determinauit, quantum ſuberis homini, quo ad experimentum eſt vſus, opus erat addere, vt ab eo ſine vllo artis, qua pollebat, natandi adminiculo in ſuperficie aquae ſuſtentaretur, ac grani parte aliqua dempta, mergeretur.

geretur. Facile inde pondus huius hominis in aqua elici poteſt.

17. *Relatio de morbo Gallis* Ergot, *ex cauſſa* p. 106. *eius, in ſecali cornuto poſita*, *dicto* ex litteris Cl. TISSOT ad Cl. BAKER. Cum morbus, Wattisbami in Suffolkia ante aliquot annos obſeruatus, * plura communia habeat cum illo, qui ab eſu ſecalis cornuti oritur, et quem Galli hanc ob cauſſam nomine *Ergot* inſignire ſolent; occaſione breuioris cuiusdam tractationis, quam de hoc morbo Cl. Editor Tiſſotiani libri *Avis au peuple* Pariſinae editioni addidit, BAKERUS ad TISSOTUM ſcripſit, eiusque reſponſionem hic cum ſocietate Regiae communicat, quae multas obſeruationes, quas Cl. TISSOT ex pluribus ſcriptoribus de hoc morbo collegit, continet. Agit vero primum de vitiis, quibus grana frumenti ſecalis infeſtantur in vniuerſum, quorum nomina frequenter confunduntur, ex qua re plures grauiſſimi errores orti ſunt. Statuit autem Cl. Auctor primam ſpeciem horum vitiorum eſſe *rubiginem* vel *aeruginem*. Hanc Galli *rouille, ſuc miellé*, vel *bled vanté*, Itali *ruggine* ſ. *robbiga* dicunt, nobisque ea eſſe ſpecies videtur, quam noſtrates *den Roſt* vocant. Altera eſt *uſtilago* ſ. *uredo*, vel *fuligo*, Gallis *brulure* ſ. *volpe*, (Germanis *der Brand* cuius duae ſpecies ſunt, ſcilicet *carbo*, Gallis *charbon* ſ. *la boſſe* (an noſtratibus *Steinbrand?*) et *caries* ſ. *nielle* Gallorum, quam Germani *Staubbrand* vocant. Tertium vitii genus eſt *ſecale cornutum* ſ *Orga* (a LINNAEO *clauus* dicitur) Gallis *Ergot*, Germanis *Mutterkorn*, quo praeter ſecale etiam duae

* vid. Philoſ. Transact. Vol. LII. P. II. p. 523. 526. et 584. Comment. Vol. XII. pag. 14. 15. et 19.

duae aliae vel tres tantum plantae gramineae laborare ſolent. Vegetatio eſt irregularis grani ſecalini, quod mediam quaſi naturam inter granum et folium acquirit, coloris fuſce viridis eſt, atque irregulariter compreſſum adparet. Saepe quatuordecim vel quindecim lineas longum, duasque tantum latum eſt. Licet vero in vniuerſum ex eſu granorum, aliquo vitio corruptorum, varii morbi, chronici maxime, oriuntur, tamen inprimis vſus granorum ſecalis cornuti grauiſſima damna producit. Putat autem Cl. TISSOT, morbos hos omni aeuo adfuiſſe, licet minime a veteribus, ſed primum anno 1596. in Haſſia obſeruati et deſcripti fuerint, plurimasque epidemias ex eſu ſecalis, tali modo corrupti, a variis Auctoribus deſcriptas, ac inprimis, quae de gangraena ſpontanea inde orta, quod ſymptoma recentiores tantum adnotauerunt, paſſim dicta ſunt, ſubiungit. Quod vero cauſſam deprauationis huius granorum * et modum, quo clauus corpori humano noxam infert, attinet, plurima adhuc hac in re obſcura eſſe, Cl. Auctor fatetur. Videtur non frumentum, tali modo vitiatum, humores noſtros inquilino aliquo veneno inficere, quod aut neruos laceſſens, ſpaſmos, aut ſanguinem putrefaciens, gangraenam excitet. Cur autem modo ſpaſmos, modo gangraenam, aut cum febre, aut, vt plurimum ſine febre producat, etiam adhuc ignoratur, quapropter a Cl. Auctore tota haec res vlteriori medicorum diſquiſitioni commendatur. Tandem addit, quae de

* De morbis granorum frumenti in vniuerſum et in ſpecie de ſecali cornuto, ea maxime lectu digna ſunt, quae hac de re Cl. GLEDITSCHIUS *in vermiſchten Phyſ. Bot. Oeconom. Abhandl.* Hal. 1765. T. I. p. 105. et 140. habet, qui clauum ab inſectis oriri putat.

de medela, a variis auctoribus propoſita, collegit, p. 124.
docetque, praemiſſa venaeſectione, emeſin et repetitam quidem euacuationem alvinam cum ſale amaro excitandam, tuncque largas doſes camphorae, elix. vitrioli et corticis Peruuiani cum decocto chamaemeli propinandas eſſe. Praeterea ſuadet, larga veſicatoria ceruici et oſſi ſacro et partibus aegrotantibus, late inciſis, fomenta ex decocto corticis Peruuiani vinoſo applicari. In fine de morbo Wattishamenſi diſſerit, in quo, etſi cauſſa vulgaris, ſecale ſcilicet cornutum, defuerit, corruptum tamen frumentum morbo anſam dedit, quo haec inprimis familia, aliis ſimul cauſſis occaſionalibus accedentibus et praediſponentibus, correpta fuit. Atque inter has cauſſas Cl. TISSOT potiſſimum debilitatem vniuerſalem valetudinariumque corporum ſtatum, aerem humidum et clauſum, carnem porcinam, diaetam lacteam aliaque huius generis refert.

18. *Obſeruationes conſtituendae rationis gratia,* p. 126.
in qua calor creſcente locorum altitudine decreſcit, excerptae ex litteris Cl. TH. HEBERDEN ad Cl. WILH. HEBERDEN.

19. *Relatio de calculo, qui ſine vllo artis auxilio* p. 128
e veſica vrinaria mulieris cuiusdam Bury *in* Suffolkia *commorantis exceſſit*, communicata cum ſocietate a Cl. HEBERDEN. Mulier 67 annorum, per duodecim fere annos variis ſymptomatibus, a calculo oriundis, fatigata, tandem vna cum ſanguinis ſinceri copia, per vrethram calculum pondere vnciarum duarum et drachmarum duarum et dimidiae excreuit nullisque remediis vſa, tamen breui poſt ita conualuit, vt bene, incontinentia vrinae excepta, ſe habeat.

p. 130. 20. *Litterae* Cl. BEVIS ad Cl. BIRCH, quae *aſtronomicas obſeruationes Viennae in Auſtria* a Cl. IOSEPHO LIESGANIG 1764. *inſtitutas* continent.

p. 139. 21. *Relatio de hydrophobia falſo ſic putata*, ex litteris Ill. MORTON ad Cl. TH. BIRCH. Cum in nouellis publicis Ill. MORTON relatum legeret, Patauii aegrum, hydrophobia ex morſu canis rabidi correptum, vſu aceti conualuiſſe, in hanc rem, notatu digniſſimam, vlterius inquiſiuit. Patet autem ex accuratiore relatione, cum ſocietate hic communicata, hominem, cuius curationem a Cl. LEONISSA ope aceti peractam fuiſſe ſermo erat, nequaquam vera hydrophobia laboraſſe, licet a cane rabido ſuperficiale aliquod vulnus accepiſſet.

p. 143. 22. *Duo theoremata latera polygonorum ellipſi datae certa lege inſcriptorum concernentia* a Cl. EDW. WARING ad Ill. MORTON perſcripta.

p. 146. 23. *Diſſertatio de natura euaporationis ac nonnullis aeris, aquae ac feruentium liquorum phaenomenis*, in litteris Cl. HUGH HAMILTON ad Cl. DODGSON. Duae inprimis de natura euaporationis opiniones a phyſicis explicari ſolent. NYEUWENTITII opinantis particulas igneas adhaerendo et ſe cum moleculis coniungendo aqueis vel aliorum corporum, eas reddere aere ſpecifice leuiores, vt in eo aſcendere poſſint, donec in ſtrata aerea pertingant, vbi eiusdem cum eo ſunt denſitatis, aut HALLEYI, qui putat, calorem particulas aquae in ſphaerulas extendere, quo aer efficitur in iis multo rarior, aere, eas circumambiente, vt non poſſint non, in eo aſcendere. Vtraque opinio hydroſtaticis non minus principiis ac experimentis, quam

quam obſeruationibus contraria videtur. Aliam itaque nonnulli theoriam euaporationis, multoque commodiorem ac ſolidiorem excogitarunt, in qua euaporatio ceu lenta quaedam ſolutio concipitur. Omnes huius theoriae difficultates euaneſcunt, quae potiſſimum oriuntur ex explicanda ratione, qua in aere corpuſcula, eo longe grauiora, aſcendere queant. Indubitata enim experimenta docent, in menſtruis per vires attractionis corpuſcula, longe iis grauiora, ita in iis haerere, vt eorum pellucidati plane non officiant. Hanc theoriam Cl. HAMILTON ſibi exornandam ſumſit elegantibus experimentis ac ratiociniis, demonſtrando primum, aerem eſſe eiusmodi menſtruum, in quo non ſolum aqua, ſed et alia corpora, eo longe grauiora, ſoluuntur attractaque in altum tolluntur, ac, accedente frigore, aut aliis ſuperuenientibus ſolutis particulis, pro circumſtantiis variis in nubes, niues vel glaciem praecipitantur. Mira proinde facilitate omnia euaporationis phaenomena per hanc theoriam explicari poſſunt.

24. *Phyſicae ac meteorologicae obſeruationes, coniecturae ac hypotheſes* Cl. BENI. FRANKLINI. Has obſeruationes, quae ante nouem fere annos Regiae ſocietati traditae, in ſcriniis eius delituerunt, lecta antecedenti tractatione euaporationis theoria in mentem reuocauit. In quibus cum ea ex iisdem principiis explicetur ac ſpecialius ad diuerſas noſtrae telluris regiones applicetur, diſſertationi Cl. HAMILTON annexae ſunt. p. 182.

25. *Deſcriptio bilancis nouae fabricae ac ſtructurae potiſſimum ad vſus officinarum, praeparandae lanae deſtinatarum, accommodatae* a Cl. W. LUDLAM. p. 205.

p. 228. 26. *Examen ſpiritus mineralis elaſtici, ſeu aeris, qui in aquis acidularum Pyrmontanarum continetur, nec non qualitatum mortiferarum huius ſpiritus per experimenta inſtitutum* a Cl. W. BROWNRIGG. Cl. p. 236. Auctor, vt ex excerptis, huic diſſertationi ſubnexis, conſtat, Regiae ſocietati ſcriptum iam anno 1741. tradidit de vtilitate accuratius cognoſcendi ac exhalationes minerales ad principia ac proprietates aquarum mineralium: naturam fontium ardentium ac peſtiferorum illorum lacuum, qui ab antiquis auerni vocabantur, cognoſcendam, in eoque argumentis ac obſeruationibus, ex ſummorum virorum ſcriptis deſumptis, demonſtrauit, vim aquarum mineralium potiſſimum non eſſe deriuandam ex terreſtribus ac mineralibus partibus, quae cum iis vniuntur, ſed potius ex ſubtili quodam et elaſtico ſpiritu, qui cum auolauerit, vappidae fiunt aquae minerales omnemque vim ſalutarem amittunt. Prodit ſe iſte elaſticus ſpiritus acore inſigni ac pungente ſapore, ſed eius eſt indolis, vt adhuc a nemine ſeparari ab aquis acidularum et accurate examinari potuerit. Nactus eſt poſthaec Cl. Auctor occaſionem, inſtituendi experimenta cum aquis Spadanis ac inprimis Pouhouenſibus, omnemque primum ingenii aciem intendebat, vt aerem illum, cum aquis mixtum, ſegregaret Omnem vero, vt ex primis experimentis deſcriptis patet, eius ſagacitatem eluſit, donec incideret meditando in artificia, ſecundo experimento deſcripta, quibus ignis ope illum ſeparauit, inuenitque, aquam, eo ſpiritu excuſſo, omnem acrem ſaporem et virtutem perdere terreasque particulas ex ea ſeparari. Cum ipſo vero ſpiritu elaſtico, in veſica ſeruato, varia experimenta fecit, quae Auctori ſatis ſuperque peſtiferam eius indolem declararunt. Immiſſa enim in illum animalia ſtatim interierunt.

27. *Relatio*

27. *Relatio de vſu ſalis marini, vulneribus, morſu ſerpentis crotalophori factis, applicati*, ex litteris Cl. BENI. GALL ad Cl. HUXHAM. Cl. PORTER vulneri, quod morſu dicti ſerpentis pedi cuiusdam hominis inflictum erat, atque profunditatem dimidii fere pollicis habebat, poſt duas horas, pede iam tumefacto, aegrotoque nauſea affecto, adplicabat, ſcarificatione prius inſtituta, ſalem communem, eo cum ſucceſſu, vt breui poſt ſine vlteriore remedio aeger conualeſceret. Quem quidem ſalis vſum aduerſus morſum huius ſerpentis etiam alia obſeruatio, quae Cl. STRONG auctorem habet, vlterius confirmat. p. 242

28. *Excerpta ex tribus epiſtolis* Cl. EYLES STILES ad Cl. DAN. WRAY, *quae noua quaedam Neapoli conſtructa microſcopia eorumque vſum in contemplandis minutiſſimis rebus concernunt.* Microſcopiorum horum Auctor Reu. Pater IO. MARIA DI TORRE, cum ea Regiae ſocietati obtuliſſet, amplam eorum deſcriptionem ac cautiones in iis adhibendis neceſſarias adiecit. Eorum primum conſtat, ex lenticula, cuius diameter duorum punctorum Pariſienſium, amplificans diametrum rerum obſeruatarum 640, vt ſecundum et tertium, quae vnius puncti Pariſienſis diametrum habebant 1280. Quartum vero igne puriſſimo generatum, incredibili patientia cucullis, vt ipſe Auctor ſcribit, orichalceis incluſum globum primum et vnicum diametri puncti dimidii, quod obiectorum diametrum auget 2560. Inter obſeruationes microſcopicas humani ſanguinis ea maxime notabilis eſt, in qua globuli ſanguinis perforati adparuerunt. Annexa epiſtola Cl. STILES obſeruationes quoque de ſexu et impraegnatione plantarum continet, in qua pollen hibiſci Syriaci, mirabilis ialapae, cucumeris ſa- p. 246.

tiui etc. aliarumque plantarum ſtyli et ſtructura earum partium declaratur et determinatur.

p. 271. 29. *Vlterior relatio de exitu* morbi ANNE IAMES, *quae cicuta vſa eſt.* Ex litteris Cl. IOS. COLEBROOKE ad Cl. TH. BIRCH. Ex continuatione hiſtoriae huius foeminae, * hic cum Regia ſocietate communicatae, apparet, cicutam palliatiuum tantum remedium fuiſſe. Licet enim cicutae vſus continuaretur, tamen, ſcirrho aucto et exulcerato, autumno 1765. haec mulier tandem periit.

p. 273. 30. *Relatio damnorum a fulgure Collegio Pembrokiano Oxonii* d. 3. iunii 1765. *illatorum*, in litteris Cl. GRIFFITH ad Cl. IOH. SWINTON.

p. 280. 31. *Epiſtola* Cl. IOH. ELLIS ad Cl. SOLANDER *de natura et formatione ſpongiarum.* Quod iam ante aliquot annos de ſpongiarum formatione, natura et vita animali Cl. ELLIS ſcripſerat **, id hic in epiſtola, data ad Cl. SOLANDER, cum quo hac de re varia in maris littore inſtituit experimenta, vlterius confirmat. Docet vero primum iam antiquis temporibus ARISTOTELEM et PLINIUM vitam ſenſitiuam ſpongiis tribuiſſe, licet MARSIGLI ea recentioribus temporibus vna cum coralliis, ceratophytis et alcyoniis ad vegetabile regnum retulerit. Credidit tamen Cl. PEYSSONEL poſtea ſpongias eſſe opus vermium quorundam, qui in ſpongiis ſaepe latitantes, reperiuntur ***, quae

* vid. Philoſ Transact. Vol. LIII. p. 346. Comment. noſtror. Vol. XIII. p. 675.

** vid. Philoſ. Transact. Vol. LIII. p. 419. Comment. noſtror. Vol. XIII. p. 678.

*** vid. Philoſ. Transact. Vol. L. P. II. p. 592. Comment. noſtror. Vol. X. p. 140.

quae tamen ſententia Cl. ELLIS minus arridet, cum ex eius mente vermes hi, quorum plures ex *Nereidum* genere ſunt, non fabricatores earum ſint, ſed potius ab exteriore parte intus penetrauerint, quo ibi a variis periculis tuti, lateant. Quod vero animalem ſpongiarum naturam attinet, Cl. ELLIS in *ſpongia panicea* (PALL. *Zoophyt.* p. 235.) vidit foramina ſpongiarum non polypos continere, vti plurima alia zoophyta, ſed papillaria ſuperficiei oſcula alterno motu contrahi et iterum dilatari, vt itaque p. 284. ſpongia animal ſit ſui generis, poros habens, qui totidem oſcula eius ſunt, quibus nutrimentum recipit, et excrementitias partes, polyporum ad inſtar, iterum eiicit. Hanc ſyſtolen et diaſtolen pororum etiam Ill. MARSIGLI, licet acriter vegetabilem earum naturam defendat, vidiſſe ex loco quodam eius, ab ELLISIO citato, patet. Oſtendit tandem Noſter, ſpongias in interna ſua ſtructura p. 285. maxime cum *alcyoniis* conuenire, licet orificia in alcyoniis ſtellas referant, et polypi ex iis progrediantur, * cum contra pori ſpongiarum rotundam figuram habeant et ſpinulae quaſi minutae circa illa poſitae ſint. Quae vero in ſpongiis reperiuntur cauernae irregulares, eae vermium opus ſunt intus latitantium aut ſpongiarum gelatinoſam partem depaſcentium, vti conchae variae, lapilli aliaque peregrina corpora, a ſpongia ipſa in incremento ſuo includuntur. In adiecta tabula aenea prima delineatur, *ſpongia, medullam panis referens* (*the crumb of bread ſponge*, ſpongia panicea PALLAS *Zoophyt. ſpongia ramoſa Anglica, oculata* LINNAEI, et *ramoſa tomentoſa Anglica* an *tomentoſa* LINN., nec non ſectiones perpendiculares et horizontales *ſpongiae officinalis*, quibus interna eius fabrica et ſimilitudo

* vid. Phil. Transact. Vol. LIII, l. c.

cum alcyoniis declaratur. Secunda continet *ſpongiam criſta Galli* dictam, cocks-comb ſponge, quae varietas eſt *ſpongiae paniceae*, *ſpongiae* porro cuiusdam *ramoſae et tuberculatae* ex Guinea allatae, quae figuram *madreporae muricatae* LINNAEI fere habet, *ſpongiae flabelliformis* ex Noruegia, an *ventilabra* LINNAEI? et *ſpongiae ramoſae dichotomae* ex eadem terra, quae *dichotoma* LINNAEI eſſe videtur.

p. 290. 32. *Excerptum epiſtolae* Cl. I. HOPE, *Profeſſ. botanices Edinburg.* ad Cl. PRINGLE, *Edinb.* d. 24. Sept. 1765. *datae.* Veram rhabarbari ſpeciem officinalem orbi litterario coepiſſe innoteſcere, ex hac epiſtola cognoſcitur. Eſt vero illa *rheum palmatum* LINN., cuius iconem minus perfectam etiam dedit Cl. LINNAEUS, CAROLI filius *. Ex ſeminibus enim, a Cl. MOUNSEY transmiſſis, tanquam rhabarbari veri ſeminibus nata eſt haec planta in horto Edinburgenſi, cuius figuram et deſcriptionem botanicam hic Cl. HOPE communicat **. Maxime vero notatu digna eſt eiusdem Cl. Viri obſeruatio, radicem huius plantae, in horto natae, odore et ſapore exacte rhabarbari radici, qualis in officinis ſeruatur, ſimilem fuiſſe, atque aegris exhibitam, eadem doſi, qua officinalis datur, eosdem quoque effectus praeſtitiſſe.

p. 294. 33. *Diſſertatio, continens hiſtoriam reditus cometae perquam memorabilis* a. 1682. *una cum eius obſeruationibus, Lutetiis Pariſiorum in obſeruatorio marino menſibus ian. febr. mart. april. maio et initio iunii* 1759. *a* Cl. MESSIER *inſtitutis, ex Gallica lingua translatis* a Cl. MATY.

34. *De*

* vid. Plantar. rarior. hort. Vpſalienſ. Faſcicul. ptimus. Lipſ. 1767. impenſ. S. L. Cruſii fol.

34. *De tranſitu veneris, per diſcum ſolis* 1769. p. *ingruente, diſſertatio,* Ill. MORTONO dicata a Cl. TH. HORNSBY.

XI.

IOBI BASTERI, M. D. Acad. Caeſ. Soc. Reg. Lond. et Holland. Socii opuſcula ſubſeciua obſeruationes miſcellaneas de animalculis et plantis quibusdam marinis eorumque ouariis et ſeminibus continentia. Harlemi 1765. apud Io. Boſch. Tom. II. Liber ſecundus, pl. 6½. tab. aen. 5. Liber tertius pl. 7. tab. aen. 4.

Cl. horum opuſculorum Auctor duobus his libris non modo ſecundum eorum tomum, ſed et in vniuerſum ob ingraueſcentem ſenectutem et accedentem ſiniſtri oculi amauroſin totum opus finire voluit, cui per aliquot annos impenderat, quantum a reliquis laboribus otii ſupererat, quo quidem ſtudio egregie de hiſtoria naturali meritum eſſe, nemo neſcit. Initium ſecundi libri breuis de *meduſis* tractatio facit, vbi quatuor eiusdem ſpecies *aequorea*, ſcilicet, *hyoſcella*, *cruciata* et *capillata* LINNAEI deſcribuntur. *Aequorea* aeſtate anni 1762. inſolita copia in littore Belgii reperiebatur, piſcium vero multitudo iisdem in locis, ob pabuli defectum a meduſis abſumpti, vel venenatam illarum naturam, inſigniter eodem tempore imminuebatur. Mirum omnino eſt eiusmodi animalia, per ſex hebdomades viua in aqua dulci ſeruata fuiſſe. *Cruciata* longe frequentius occurrit. Dolendum tamen eſt, in hac ſpecie, vti in aliis plurimis inſignem partium pelluciditatem impedire earum vlteriorem

teriorem cognitionem, cum neque coctio, neque immiſſio in ſpiritum vini partes magis viſibiles reddat. Inter turbas *capillatarum* parui piſciculi natant, et quaſi latitantes, contra rapacitatem aliorum piſcium perfugium quaerunt. Minima omnium meduſarum *hyoſcella*, eſt, et adeo quidem parua, vt nudo oculo ſine microſcopii auxilio vix conſpici
p. 62. queat. Meduſarum hiſtoriam *aphroditarum* quarundam deſcriptiones ſequuntur, *aculeatae* ſcilicet LINNAEI, quam alii *ſcolopendram marinam* ſ. *vermem aureum* dicunt, et *ſquamatae* LINNAEI, quae noua eſt. Inprimis vero Cl. Auctor de papillis *aculeatae* agit, quarum inſignis multitudo eſt, et quarum ope animal in fundo maris ex Noſtri mente
p. 67. progreditur. De *pholadibus* deinde pauca Noſter monet, quas lapides perterebrare notum eſt. Hinc cum in lapidibus ad aggeres, quibus aquae vis reprimitur circa annum 1760, in Belgii quibusdam prouinciis lapides, foraminibus exeſi, reperirentur, ſollicitudine incolae turbabantur, ne aggeres exinde detrimentum caperent. Cognouit vero Cl. BASTERUS, examine accuratiore inſtituto, foramina illa non eſſe teredinum opus, quale putabantur, ſed pholadum, neque adeo magnum periculum inde extimeſcendum eſſe. Semper eae tantum calcareos, nunquam quarzoſos lapides aut ſaxa inhabitant.
p. 69. De *mya arenaria* LINN., quae in Scaldia frequenter reperitur, Noſter monet, animal, quod tethadibus annumeratur, proboſcide longa inſtructum eſſe, in cuius fine duae aperturae ſunt, per quarum maiorem, ſi ex aqua extrahitur, aquam quaſi per ſiphonem ad ſex pedum ſpatium eiicit. Minor vero excrementis emittendis inſeruit. *Cardium edule* LINN.
p. 72. breues tracheas habet, per quarum alteram inferiorem excrementa procedunt, maior ad eſcam capiendam fabreſacta, multis proboſcidibus inſtructa eſt.

eſt. *Tellinae* etiam duas tracheas habent, quas ad p. 74.
ſex vel ſeptem pollicum ſpatium extendere valent. Laeues vero eae ſunt et ſine proboſcidibus. Addit aliqua de *furbine ſtagnali paruo* antea nondum deſcripto, binos oculos, exteriori cornuum latere appoſitos, habet. In fine huius libri Cl. Auctor de *cyprinis auratis* LINN. exponit, quos Sinenſes *Kinyu* vocant, qui ob auri et argenti colorem, quo ſplendent, a Sinenſibus et Iaponenſibus iam magni aeſtimantur, et an. 1728. ab Anglis e Sina in Angliam perlati, piſcinisque impoſiti, ibidem propagati ſunt. Cum vero Cl. Auctor primus ſit in Hollandia, in cuius horto piſces, ex Anglia allati, multiplicati ſint, multa hic de eorum cultura et geneſi lectu non iniucunda iisque maxime neceſſaria profert, qui ſimile quid tentare voluerint. Vulgarem ſententiam, aureos ex his piſcibus mares eſſe, argenteos foeminas, Cl. Auctor refutat, gratiſſimi ſunt ſaporis, et multo quidem melioris, quam vulgares carpiones. Cum autem deſcriptio huius piſcis, quam LINNAEUS Ill, in *Act. Acad. Suecic.* ad annum 1740. dedit, ad vnicum tantum facta ſit ſpecimen, aliam ſubiungit Cl. Auctor, ex plurium ſpeciminum contemplatione natam, *Cyprinumque* vocat *craſſiuſculum, dorſo ſubconuexō, pinnis dorſi, ani et caudae in diuerſis ſubiectis diſcrepantibus.* Pinna ani ſaepe duplex eſt, duobus oſſiculorum ordinibus, ex vnico tantum radicum ordine prodeuntibus. Dorſalis nonnunquam longiſſima viginti conſtat oſſiculis, ſaepe breuiſſima, ex tribus tantum vel quatuor. Cauda aliquando lunulata, aliquando trifurca eſt. Magnitudo multum variat. In vniuerſum tamen in Europa maiores, quam in China euadunt. Sic et color multum variat, ita vt Cl. Auctor inter centum piſces tredecim quaſi plane a ſe diuerſas ſpecies diſtinguere potuerit.

Tertius

p. 105. Tertius huius voluminis liber continet primo diſſertationem de *ſalicornia annua* ſiue *kali genicu-lato maiore annuo*, cuius botanicum characterem Cl. Auctor hic fuſius deſcribit et confirmat, vnicum tantum ſtamen hanc plantam habere. Belgi eam, oleo et pipere conditam, edunt. Exponit porro hic Cl. Auctor methodum, qua Hiſpani hanc plantam, ſatis eiusdem, ineunte vere, ſeminibus, in fundis humilibus paludoſis, mari vicinis, colunt, quibus in locis ea tanta celeritate creſcit, vt, tribus menſibus praeterlapſis, iam colligi et ſiccata in puteis, fornacibus, in quibus calx coquitur, haud diſſimilibus, comburi poſſit, quo exinde ſal ſodae paretur. Herbae ad littora Hollandiae collectae et ſiccatae vnciae 67. Auctori Cl. dederunt cinerum vncias 32, ex quibus 13. vncias ſalis fixi lixiuioſi obtinuit. Ad-
p. 111. iecta eſt Cl. GAUBII ad Auctorem Cl. horum opuſculorum epiſtola, qui etiam hanc plantam chemice diſquiſiuit. Hic ex libris duabus recentis ſalicorniae vncias 7 et drachmas 4 cinerum obtinuit. Lixiuium autem ex iis paratum, ſalſum tantum, non lixiuioſum ſaporem habuit, atque poſt euaporationem cryſtallos cubicas, perfecte cryſtallis ſalis vulgaris ſimiles exhibuit, neque vllo modo ad alcalinam indolem acceſſit. Omnis vero ſalina materia vncias 4 et drachmas 6, id eſt duas prope tertias partes ponderis cinerum, habebat. Hinc Cl. GAUBIUS aſſerit, praeter ſalem marinum ex ſalicornia, vel nihil ſalis fixi, vel minimam tantum eius quantitatem elici poſſe. Cinis vero, praeter ſalem modo dictum et nonnullas ferri partes etiam terream baſin aluminis continebat. Ex his vero omnibus Noſter concludit, ſales lixiuioſos, qui incineratione obtinentur, non ſemper alcalinos eſſe, ſed ſaepe mediae indolis: ſalicorniam ſal ſuum, ex aqua marina acquirere, et forte plures alias plantas, quae

ad

ad maris littora creſcunt, ſimile ſal continere: tandemque ſalicorniam Seelandorum, quae ſalem marinum tantum habet, forte diuerſam eſſe ſpeciem a kali, ex quo Hiſpani ſodam parant, cum ſoda plurimum ſalis alcalini et pauxillum tandem ſalis cibarii poſſideat. Veroſimilius tamen eſt, ignem violentiorem et ſuppreſſum, quem Hiſpani adhibent, ſal marinum, expulſa eius parte acida, in alcali mutare. Hanc tractationem excipit alia de *alga* p. 116. ſiue *fuco*, *quercus marina* dicto, quam accurate Noſter deſcribit, oſtenditque penicillos ſ. ſtrigas, quibus folia obſita ſunt, non flores harum plantarum eſſe, quae REAUMURII et DONATI eſt ſententia, cum ii iam in tenellis plantis reperiantur, omnique anni tempore adſint, neque vnquam antheras oſtendant, nec in permultis fucorum ſpeciebus inueniantur. Hinc vel aculei tantum ſunt, vel, quod veroſimilius nobis videtur, alimentum ex aqua hauriunt, et plantae nutritioni inſerviunt. Inuenit autem Cl. Auctor, veſiculas terminales horum foliorum materiam, lanae non diſſimilem, aeſtate vero viſcoſum ſuecum continere: ſemina autem non in lanoſa illa maſſa, ſed in ipſa folii ſubſtantia ſita eſſe, quae matura ex cellulis excidunt, et ope viſcoſi humoris, quo circumdata ſunt, lapidibus adhaerent, celerrimumque incrementum capiunt. Praeter quercum marinam vero etiam tres aliae fuci ſpecies in littore Belgico obuiae hic delineantur. Addit Cl. Auctor ſe RUSSELII Cl. p. 123. conſilia ſecutum * ſaepius ſalutarem *quercus marinae* in ſcropuloſis morbis effectum expertum eſſe, et hunc in vſum mixturam ex aqua marina, ſale quercus marinae et ſyrupo quodam commendat.

Experimenta

* vid. Adpend. ad librum de tabe glandulari p. 151. Comment. noſtr. Supplem. II. p. 249.

Experimenta vero chemica cum variis fuci ſpeciebus, a Cl. BASTERO inſtituta, eum docuerunt, ſtupendam ſalis lixiuioſi copiam illas continere, quapropter ciues ſuos excitat, quo ex quercu marina ſalem lixiuioſum conficiant, inprimis cum id incolis inſularum Silurum, *Islands of Scilly*, optime ſuccedat, quippe qui quotannis tantam talis huius, quem *Kelp* vocant, copiam praeparant, vt inde vltra quinque millium florenorum pretium
p. 128. ad eos redeat. Duodecima tabula aenea delineatur planta quaedam ſeminifera, quae ad triginta orgyarum altitudinem prope Nidroſiam e mari extracta fuit, cuius deſcriptionem hiſtoria *Gorgo-*
p. 130. *niae reſedae facie* ſ. *lepadiferae* LINN. excipit, quam Cl. GUNNERUS quoque in volumine ſecundo actorum ſocietatis Nidroſienſis deſcripſit, cuius flores balanis ſimillimi ſunt. Ex *nereidum* porro genere, illa
p. 132. ſpecies quam LINNAEUS *pelagicam* dicit, aliaque noua deſcribitur, quam idem celeberrimus Vir *ſeticornem* vocat, quae longiſſimis tentaculis inſtructa, in paruo ex limo aut arena confecto tubulo
p. 135. habitat. Vltima tandem ſectio de *pediculis piſcium* et *oniſcis marinis* exponit. Praeter pediculorum tres ſpecies alius etiam *ceti pediculus*, quem LINNAEUS ad *oniſcos*, ſed falſo refert, *oniſcus* pro *entomon* et *oniſcus aſilus* LINN. ſiue *pediculus marinus* tandemque alia ſpecies delineatur, quae *oniſco aquatico* LINN. ſimilis eſſe videtur.

XII.

XII.

Icones plantarum et analyſes partium aeri inciſae atque viuis coloribus inſignitae, adiectis indicibus nominum neceſſariis, figurarum explicationibus et breuibus animaduerſionibus, quas compoſuit D. CASIMIRUS CHRISTOPHORUS SCHMIEDEL, Seren. Marggr. Brandenb. Culmbac. a Conſ. Aul. Med. Anat. et Botanic. P. P. O. in Acad. Frideric. Erlang. curante et edente IOANNE CHRISTOPHORO KELLER, Pictore Norimbergenſi, typis Chriſtiani de Lannoy 1762. fol. pl. 18. tab. 19.

Ea eſt laudabilis huius inſtituti ratio, vt varias plantas, partim ab exercitato chalcographo KNORRIO, partim a SCHMIDELIO ipſo iam tum delineatas, eximius pictor KELLERUS nunc aeri incidere, et per vices publici iuris facere inceperit, quarum ſingulas icones Cl. SCHMIDELIUS notis et obſeruationibus illuſtrat, et in poſterum illuſtrabit. Quemadmodum vero in figuris ipſis ſummam vbique elegantiam in toto non ſolum plantae habitu, ſed etiam in minimis, per lentem vitream quandoque auctis, partibus fructificationis coram videmus, ita etiam Cl. SCHMIDELIUS in explicationibus tabularum eam vtique obſeruauit legem, vt ex aliis auctoribus tot deſumſerit ſynonima, quot inuenire potuit, et in adiectis ſingulae tabulae obſeruationibus praecipua adnotauerit, quae in aliorum iconibus aut corrigenda, aut emendanda, aut ſupplenda ipſi viſa fuerunt; varietates etiam, ſi quae in ſpecie occurrunt, ſedulo et accuratius indicauit, vt adeo laude digna ſint, quae SCHMIDELIUS in illuſtrationi-

bus harum depictarum plantarum perfecit. In edendis vero his ſpeciminibus nullum ſyſtematis cuiusdam ordinem obſeruatum fuiſſe monemus, veluti iam nunc apparebit, quando plantarum, in hoc volumine delineatarum, breuibus mentionem iniiciemus. Ita enim Tab. I. ſiſtit *Ribes, quae Groſſularia* vulgo dicitur. Obſeruauit in hac ſpecie Auctor Noſter duos diſtinctos ſtylos, quales etiam LINNAEUS deſcripſit, quando vero HALLERUS vnicam ſolummodo tubam huic ſpeciei adſcribit, eam in iuniori potiſſimum flore inueniendam eſſe Noſter autumat, quandoquidem in eodem duo iſti ſtyli adeo contigui ſint, vt vnicum mentiantur. Tab. II. *Rubus fructu maiori nigro* delineatur. Etſi inconſtans eſt ſtaminum et piſtillorum huius plantae numerus, priores tamen inter 140. et 150. poſteriores autem inter 40 et 50 Auctor Noſter animadvertit. Tab. III. ſiſtit *Mnium caule ſimplici, foliis ouatis*. Perpuſillae huius plantae duplicem dari differentiam, DILLENIUS atque HALLERUS iam tum obſeruarunt, quam etiam Auctor hac tabula repraeſentare ſtuduit, quaedam enim plantulae capſuliferae ſunt, aliae vero in ſummitate ſcapi cyathos, variam formam nanciſcentes, gerunt. Tab. IV. oſtendit *Clauariam ſimplicem, turgidam obtuſam*, et *Clauariam ſimplicem oblongam, puluinatam*, in Tab. V. vero variae formae adumbrantur, quas eadem planta a primo fere originis principio, vſque ad varios incrementi gradus induere ſolet. Omnes plantae in duabus his tabulis depictae, etſi externo habitu, magnitudine, et colore admodum inter ſe differre videntur, vnum tamen idemque indiuiduum omnes has mutationes ſubiiſſe pluribus comprobare ſtuduit Auctor argumentis. Et quidem variam plantae aetatem, externum eius habitum pariter, quam internam ſubſtantiam, multis modis

modis mutare ipſe edoctus fuit Noſter, cum plantam vario tempore diſquiſiuerit, eandemque nunc ſub hac, nunc ſub alia forma inuenerit. Tab. VI. offert *Helleborum nigrum officinalem*, cuius ampliorem deſcriptionem Noſter adiecit, ſingulas eius partes ſtudioſius commemorans. Tab. VII. ſiſtit *vitem viniferam*, et Tab. VIII. *vitem laciniosam* LINN. quae ſpecies a CORNUTO iam delineata, a priori ſolummodo foliis quinque aut ſeptemfidis, laciniis vtrinque iterum diſſectis, dignoſcitur. Tab. IX. continet *Marchantiam* pro varia aetate varia ſub forma conſpiciendam. Quamdiu enim iuuenis eſt planta, frondes eius fere in orbem extenduntur, adultior vero facta in longum magis excreſcit atque protenditur. Peculiaris eſt proprietas huius plantae, vt nimirum margo totius plantae, hinc inde appendiculas, vel ſquamulas membranaceas ex viridi fuſcas habeat, quae ex cuticula inferiori oriri videntur. Tab. X. depictum ſiſtit *Agaricum, qui fungus albus, ouum referens*, RAIO et BUXBAUMIO dicitur. Non putat Auctor hanc ſpeciem eandem eſſe, quam LINNAEUS agaricum fimetarium appellat, cum quaedam in ſpecierum editione ſubiungat ſynonima, alii potius fungo, vt videtur, competentia. Fungus breuioris vitae eſt, odorem ſpirat non ingratum, quamdiu iunior eſt, recens et eo tempore colorem ex albo roſeum habet, quando vero decerptus, per vnam modo noctem aſſeruatur, nigreſcit, et ſenſim ſemſimque in nigerrimum foetidiſſimumque reſoluitur fere liquorem. Tab. XI. continet *Thelipterin paluſtrem non ramoſam* RUPPII, quam plantám LINNAEUS ad acroſtichi genus retulit. Tab. XII. et XIII. ſiſtunt *Proboſcideam* cum anatome floris et fructus ſeorſim conſiderata. Proboſcideam plantam hanc dixit IUSSIEUS, cuius nomen etiam Auctor retinuit, quamuis ipſe

haudquaquam neget, plures in eadem esse characteres, qui *Martyniae* partim, partim *Craniolariae* competunt. Eas enim plantas, quas Cl. EHRET sub nomine Martyniae annuae villosae et viscosae aceris folio, flore albo, tubo longissimo, et folio subrotundo, flore magno rubro, in vna tabula depinxit, LINNAEUS separauit, et priorem ad Craniolariae, posteriorem vero ad Martyniae genus amandauit. Noster vero hanc suam plantam mediam inter vtraque haec genera esse autumat, inde permotus, nouum genericum nomen assumsit. Nobis tamen videtur, et ex descriptione iconeque apparet, hanc Proboscideam, veram esse Martyniam annuam LINNAEI, cum totus non solum habitus, sed corollae praecipue limbus quinquefidus, et rudimentum quinti staminis Martyniae non Craniolariae genus indicent. Tab. XIV. depingitur *Chara inermis pellucida.* Est chara flexilis LINNAEI, quae partes fructificationis genere distinctas, sub forma globulorum quodammodo pellucentium, in ipsis foliis producit. Folia aut integra sunt, aut plerumque bifurcata, et tunc in interstitiis suis, aut vnicum, aut plura tuberculа, sexum distinctum continentia, habent. Tab. XV. refert *Clauariam teretem fistulosam.* Haec planta in locis arenosis quodammodo tamen humidis, et tenui gramine vestitis, mense septembri iam prouenit, praecipue vero copiose inuenitur, quando aestas pluuiosa magis, quam sicca fuit. Plerumque ad duos pollices excrescit, erecta, quandoque vero incuruata. Haud raro pistilli formam habet, vnde pistillaris quoque clauaria appellatur, colorem ex albo, luteo et fusco mixtum habet, caeterum vero quoad internam substantiam et totum externum habitum cum clauariis, ab Auctore Tab. IV. et V. delineatis, conuenire videtur. Tab

XVI

XVI. ſiſtit *Iuam annuam* LINNAEI. Iuae genus LINNAEUS condidit, eas Tarchonanthi VAILL. ſpecies hoc nomine comprehendens, quae flores maſculinos ſolos in diſco, paucos vero foemineos in radio gerunt. Cumque Auctor eundem florum ſitum in planta inuenerit, eam etiam a Parthenio LUDWIGII ſeparauit, et nouo Linnaeano ſub nomine deſcripſit. Habitus plantae ſpecioſam formam refert, tota enim quantacunque ex dilute virideſcente in rubrum colorem vergit, pilisque albicantibus rigidis obſeſſa eſt, caeterum adulta planta ad longitudinem quinque pedum et altius increſcit, et radice annua fibroſa fulcitur. Tab. XVII. continet *ſemperuiuum petalis fimbriatis, ſobole patula*, ad quamnam ſemperuiui ſpeciem hanc plantam LINNAEUS retulerit, ipſi cum Auctore Noſtro dubii ſumus. Etſi enim in ſpecierum editione recentiſſima CLUSII ſynonimon ſub ſemperuiuo hirto inuenimus, ipſa tamen huius ſpeciei deſcriptio, cum noſtra praeſente icone vix conuenire videtur. Huius enim folia radicalia in orbiculum quaſi diſpoſita et in margine vndiquaque inermibus et albicantibus ciliis ornata, caulem ex hoc orbiculo emittunt teretem, ad pedis altitudinem adſcendentem, pauciſſimis et laxis admodum pilis obſeſſum, cuius apici plures inſiſtunt flores, ſemperuiui genus referentes, quorum calyces et petala, vt plurimum colorem luteo virideſcentem habent, et in interiobus praecipue lateribus pluribus fimbriis et ciliis exornantur; baſi praeterea germinum adſiſtunt glandulae nectariferae, ſitu et numero germinibus reſpondentes. Tab. XVIII. ſiſtit *Teganium procumbens*, ita ab Auctore Noſtro appellatum, quemadmodum vero ex ampliſſima deſcriptione et ſatis nitida icone cognoſcimus, eandem eſſe plantam, quam LINNAEUS Nolanam dicit. Vltima tandem tabula oſtendit

Anthoceros maiorem MICHELII, in qua praecipue planta Auctor Noſter ope microſcopii veram globuli antheriferi, et ſeminum figuram obſeruauit, eandemque hac icone ad naturam depingere ſtuduit.

XIII.

Unterſuchungen der Natur und Kunſt, herausgegeben von JOHANN HEINRICH WINKLERN, *Profeſſorn der Phyſic zu Leipzig. Leipzig bey Joh. Gottlob Rothen, Buchhändler in Kopenhagen* 1765. 8. 1 *Alph. mit* 6. *K. T.*

i. e.

Diſquiſitiones naturae et artis, editae a IOANNE HENRICO WLNKLERO, Phyſices Profeſſore Lipſienſi.

Quamuis Auctor Cl. hunc libellum potiſſimum in eorum vſum conſcripſerit, qui altiora phyſices capita accurate addiſcere cupiunt, eoque fine vbiuis, ac inprimis in explicandis capitibus phyſico-mathematicis, ea perſpicuitate vſus ſit, quae in ſcriptis virorum profundioris ingenii raro occurrit, quaeque abtruſioribus phyſicae partibus eam affundit lucem, vt eas quiuis, leui inſtructus matheſeos apparatu, intelligere poſſit; attamen eadem perſpicuitate in eo ſimul proponuntur, quae peritiſſimis rerum phyſicarum cultoribus, non erunt iniucunda. Continet enim libellus varia eaque noua experimenta: occurrunt in eo nouae meditationes ad diſſoluendas, quibus nobiliſſima haec ſcientia premitur, difficultates ingenioſe excogitatae: repetita quidem in eo deſcribuntur experimenta, ſed eiusmodi, quae nonniſi

niſi vnius vel pauciſſimorum phyſicorum, qui ea inſtituerunt, auctoritate ac fide nituntur, nec ab aliis propter ſumptus ac delicatiora, quae requirunt, artificia repeti nouis luminibusque donari poſſunt. Praeterea vero omnia, quae in eo ex veterum non minus, quam recentiorum naturae indagatorum ſcriptis deprompta ſunt, in vberiorem lucem eleganter collocata, ac in eum ordinem digeſta, vt nouitatis gratiam conſequantur, et ſumma cum voluptate legantur.

Merita Cl. Auctoris ac vaſta eius rerum phyſicarum cognitio orbi litterario adeo cognita ſunt, vt certi ſimus, neminem futurum, qui nos nimium laudaſſe libellum putet, attamen lubet praeſtantiſſima ex eo delibare, non tam, vt fidem aſſertis faciamus, quam vt Lectores ad peruoluendum praeclarum libellum excitemus. Qui noua experimenta eaque inexpectata ac non niſi adhibita ingenii acie cum axiomate mechanico, quo adſtruitur: vim inertiae eſſe maſſae ſeu ponderi proportionalem, concilianda legere cupit: ei legenda eſt ſectio prima, vbi de vi inſita ac conſtanti omnium corporum i. e. de vi inertiae diſſerit Auctor Cl., ac poſtquam eam explicatam dedit ac a grauitate, vi attractionis luculenter diſtinxit, ea experimenta capite tertio copioſe deſcribit, ex quibus inſtitutis rite conſequi videatur, vim inertiae non eſſe maſſae ac ponderi proportionalem, ſed eam potius nonnunquam eſſe maiorem maſſa ſeu pondere. Deinde maximopere ſe commendabant meditationes, capite quarto obuiae, de magnitudine ac varietate reſiſtentiae, qua, vt Cl. Auctor loquitur, corpora mota in fluidis propter eorum vim inertiae afficiuntur, nec non eae, quae capite quinto de ratione, quomodo corpora quieſcentia, vi inertiae praedita, motum recipiant, proponuntur. Vbi Auctor Cl. vnde difficultas concipien-

p. 14.

p. 24.

di geneſin motus in corporibus quieſcentibus ac inertia praeditis oriatur, ex ipſius rei natura explicat, deinde vero verbis Cl. quondam HAUSENII. Porro conatus ſociorum Acad. Pariſ. in Memoir. anni 1706. expoſitos, eam difficultatem remouendi inſufficientes demonſtrat, et denique nouam propriamque rationem hunc nodum gordium diſſoluendi explicat ac vindicat.

p. 57. In ſectione ſecunda praecipuas ac maxime notabiles proprietates effectusque elaſticitatis aeris ex variis iisque ingenioſis expemerimentis deducit, inter quae eminet experimentum Cl. MARIOTTE de vi aeris elaſtica creſcente in ratione inuerſa ſpatiorum decreſcentium, quod non ſolum multis annotationibus copioſe illuſtrauit, ſed ſumma cura repetiit, ſummaque diligentia cum amicis ſingularia, quae in hoc ſumptuoſo ac raro experimento ipſis ſe obtulerunt, notauit: deinde computandi rationem ac calculos Cl. AMONTONS, qui gradus, ad quos aer naturalis comprimi poteſt, concernunt, inſtruere vberius docet. Lectu digniſſima ſunt, quae capite quarto de elaſticitate aeris in corporibus animalibus, vegetabilibus, ac mineralibus contenti, capite quinto de ſoni ex aere origine, eius celeritate, propagatione, reflexione ac reſiſtentia occurrunt. Quemuis tandem oblectabunt, quae Auctor Cl. corondis loco de machinis veterum exempli cauſſa de fonte Heronis, de aure dionyſiana, ſtatua Memnonis ex ſcriptis virorum doctiſſimorum, ad quarum mechaniſmum declarandum vi elaſtica vſi ſunt, collegit ac variis, quae ex recentiorum phyſicorum inuentis deſumptae ſunt, annotationibus locupletauit.

p. 131.

XIV. CA-

XIV.

CAROLI CLERCK, Acad. Reg. ſcient. Stockh. Soc. Reg. ſcient. Vpſal. Memb. Icones inſectorum rariorum cum nominibus eorum triualibus, locisque ex LINNAEI, Arch. Reg. et Equ. aur. Syſt nat. allegatis. Holmiae. Sectio I. 1759. Sectio II. 1764. in 4 mai.

Quod elegantiſſimum hoc opus ſerius, quam deſiderari potuit, commentariis noſtris excipiamus, non tam caro, quo venditur, pretio, accidit, quam morte Cl. Auctoris nimis matura, quae in cauſa fuit, vt pauciſſima in vniuerſum eius exempla modo proſtent. De alio eximio ſcientiae eius naturalis monimento, librum puta de araneis Suecicis, tempeſtiue olim diximus *. Hoc vero iconum nitore et ſtudio iſtas non exaequat modo, ſed, quum inſecta heic depicta et formae venuſtate et colorum varietate et gratia, ſponte ſua cuilibet magis placeant, ſuperat inſigniter. Ex titulo libri apparet, non ſubſiſtere in vnico inſectorum genere Cl. Auctorem voluiſſe: morte vero, et pretio quoque operis forſitan, vtpote quum nullis publicis ſumtibus ſubleuaretur, impeditus, depingendis papilionibus quibusdam, phalaenis, ſphingibus, rarioribus acquieſcere debuit. Quorum omnium icones tam pulchras praeſtitit, vt neminem, niſi RÖSELIUM forſitan, aemulum pronunciemus. Selegit vero ea inſecta, quorum imago vel in vniuerſum nulla exſtaret, vel manca modo.

Exempla pro delineatione ſubminiſtrarunt in prima ſectione collectiones Ill. A LINNÉ, et ſelectiorum quorundam equitis diſcipulorum, Cll. AL-

* vid. Commentar. noſtror. Vol. IX. p. 535.

STRÖMERIORUM, BERGMANNI, FORSKÅHLII et SOLANDRI. Quae vero ſecunda ſectione continentur, icones, muſeo reginae Suecorum LUDOVICAE VDALRICAE, inſectis non minus ac quouis alio rerum naturalium genere inſtructiſſimo debemus. Merito igitur non amore modo, quo auguſtiſſima regina in naturae gazas fertur, ſed grati etiam animi ſenſu ductus, opus ſuum iſti dedicauit. Tanto autem exactius naturam imagines imitantur, quum ipſe Ill. A LINNÉ tabulis, antequam ederentur, monitis ſuis adſuerit.

Tabularum in vniuerſum 55 ſunt, quarum qualibet vel vna, vel plures inſectorum ſpecies pro diuerſa earum magnitudine continentur. In multis ſuffecit, inſecta a ſuperiori tantum corporis parte, vel alterum eorum ſexum modo depingere, in aliis, ſi opus fuit, et inferior corporis pars et vterque ſexus obtutui exhibetur; quin interdum ipſius laruae imago adiecta. Adſcripſit Cl. Auctor, vna cum numero, nomen triuiale ex LINNAEI ſyſtematis editione decima; quod ſi deeſt, indicio eſt, nouitatis cauſſa nullum tum temporis adhuc nomen illuſtrem equitem addidiſſe. Quod tamen poſtea factum eſt, vt ex nouiſſima editione ſyſtematis patet, in quo hoc CLERCKII opus crebro citatum reperitur. Hac ratione inſectorum lepidopterorum ſpecies circiter 270, nitidiſſime delineatas, numerauimus. Specimina proferre in tanto numero vix vacat. Iuuat modo indicaſſe, haec inter multa reperiri, quae in memoriam virorum, de inſectorum ſcientia meritorum, nomina traxerunt; e. gr. Alſtrömerianam, Bergmannianam, Degerellam, Forskåhleanam, Goedartellam, Hartmannianam, Lechianam, Linneellam, Schreberianam etc. et in parte ſecunda, nonniſi Indica et Americana, vt ex Papilionum tribu Priamum, Panthoum, Idomeneum

neum, Helenam, Vlyſſem, Medonem, Hectorem, Polydorum, Patroclum, Amaltheum etc. ex Sphingum numero, Megaeram, Sphingem Labraeſiae, Ficus etc. et inter Phalaenas, odoratum ſtrigem, lunam, feneſtram etc. contineri.

Dolendum eſſet, ſi, vt ex Suecia relatum nobis eſt, praeſtantiſſimum hoc opus cum morte Cl. Auctoris interiturum eſſet; cuius tamen plura exempla, quum formae aeneae ſine dubio adhuc ſuperſtent, icone iam picta ante oculos poſita, facile ab artis perito adornari poſſent, modo ſint, qui ſumtus erogent.

XV.

IACOBI Ô REILLY, Med. D. et Phyſici Zatecenſis tractatus de ortu ac indole, contentis, viribus medicis, ac debito vſu aquarum mineralium Stecknicenſium. Ponti typis Anton. Sigism. Kotting. 1766. 8. pl. 5.

In praefatione Cl. Auctor quaedam de aqua in genere monet, eiusque vſum pro conſeruanda valetudine multum extollit, indeque concludit, mineralium aquarum virtutes non paucas a copioſa aqua communi pendere. Promittit deinde, ſe ſola principia, aquis ſuis mineralibus propria, eſſe propoſiturum, merito vituperans illos ſcriptores, qui plura ſuis aquis ineſſe gloriantur, quam vere iis inſunt. Inuehit hac occaſione in medicum quendam, cuius nomen * quidem ſilet, graphice tamen depingit, qui, dum

* Quamuis illum non nominet, quilibet tamen, qui aliquam tantummodo notitiam hydrogaphorum habet ſcriptorum, facile perſpiciet, Cl. Auctorem digito monſtrare Cl. TROSCHEL, qui 1762. *Tractatum de*

dum tractatum ſuum de aquis ſibi propinquis mineralibus publici iuris faceret, ſimul publico ſuum *Balſamum ſaponatum, puluerem mineralem* et *ſalem eſſentialem*, tanquam medicamenta, ex ſolis ſuae aquae partibus conſtitutiuis praeparata, obtruderet. Haec omnia iure reprehendit, ſimulque palam facit partes, quibus conſtant, et modum, quo confecta ſunt. An vero ceteros medicos, quos alias *ſat peritos* ipſe dicit, iure, an iniuria? carpat, quod, in praeparando mineralium aquarum ſale nimis ſcrupuloſi ſint, et repetita ſolutione, et, vt vocant, *cryſtalliſatione* ſuum ſalem ab adhaerente alcali congenito priuent, aliis diiudicandum relinquimus.

p. 1, Libellum ipſum in *quatuor* ſectiones diuidit. *Prima* ſectio agit de ortu ac indole aquarum *Stecknicenſium*. Proſilit haec aqua duobus ſcaturiginibus, parum a ſe diſſitis in Bohemia, prope arcem *Stecknitz*, ad Illuſtr. *Baronem de Kuhlaneck* pertinentem, et in circulo *Zatecenſi* (*Saaz*) in vicinia trium celebrium aquarum mineralium, thermarum ſcilicet *Teplizenſium*, amararum *Sedlicenſium* et *Seydſchitzenſium* et acidularum *Billinenſium*. Aqua vbi ſtagnat, aut lento fertur motu, pellicula diuerſicolori et variegata tegitur, et rubricam ſeu ochram ſubrubram ad riuuli oras deponit, quo fluit. Deguſtata, linguae imprimit ſaporem fortiter adſtringentem, ferrugineum, atramentoſum. Binique nondum ſunt anni praeterlapſi, ex quo fons a monacho quodam Ordinis, quem dicunt, *Minoritarum* primus detectus et Cl. Auctori notus factus fuit. Variis igitur cum hac aqua inſtitutis experimentis, Cl. Auctor ſibi per-

de acidulis Bilinenſibus germanice edidit, et *Salem* quendam *eſſentialem Saturatum*, *Balſamum*, et *Saponatum*, tanquam medicamenta ex ſolis contentis aquarum *Bilinenſium* producta venum expoſuit. Confer. Comment. noſtr. Vol. XII. Part. II. p. 250.

perſuadet, has aquas cum *Spadanis* aliquam habere affinitatem, quid, quod has virtute adſtringendi et roborandi antecellere, ex ſolo hoc argumento, quod *Stecknicenſes* aquae *Spadanas* principio martiali et ſalino ſuperent, quam opinionem per totum quoque librum ſuſtinet. p. 7.

Sectio *ſecunda* inquirit in contenta aquarum *Stecknicenſium*. Aquae ſapor atramentoſus, ferrugineus, et valde adſtringens eſt, vt fere ad ſtypticum accedat. Decoctum gallarum illico aquae impertit colorem ſubatrum. Rubrica, canalibus adhaerens, ſine omni additamento, vſta, vera ramenta ferrea magneti exhibuit. Ex quibus concludit aquas *Stecknicenſes* omnes alias aquas minerales, huc vſque cognitas, ferreo principio ſuperare, et hinc *Spadanis* ipſis praeferendas eſſe. Procedit Cl. Auctor ad aliam qualitatem, qua *Spadanae* omnibus aliis aquis mineralibus multum antecellunt, *ſpirituoſitatem* vulgo dictam, qua *Stecknicenſes* prorſus fere carent. Perſuadere hinc Lectoribus conatur, copioſas bullulas, quae in aquis Spadanis obſeruantur, et pro ſpirituoſitatis, vt aiunt, ſigno habentur, nil eſſe, quam aerem ſimplicem, quo certe fallitur Cl. Auctor. Cum illo enim aere, in aquis *Spadanis* contento, ſemper acidum quoddam ſubtile vitriolicum coniunctum eſt, quod nares manifeſto ferit. Multo igitur inferiores merito iudicantur a peritis eiusmodi aquae minerales, quae his bullulis carent: quum e contrario excellentiores eae habentur, quae his abundant, quicquid etiam alii contradicere contendant. Hanc obiectionem praeuidens Cl. Auctor, ipſe tandem concedit, ſpiritus hos aquarum mineralium ad promouendas acuendasque earum virtutes afferre multum poſſe, immo, et aquis mineralibus gratiorem conciliare ſaporem. Rectius iudicat de colore viridi, quem ſyrupus violarum p. 13. p. 17. p. 22.

larum acquirit, dum aquis mineralibus admiſcetur quod, ex hac coloris mutatione, ad alcali, in aquis contentum, inde concludendum ſit.

p. 27. Tranſit ad experientias, quae probant, acidum aliquod in aquis *Stecknicenſibus* contineri, ſimulque inuenit in libris *ſedecim* aquae, ſalis drachmas *tres*, grana *duodecim*; terrae autem ſcrupulos *octo*. Salem dicit peculiarem, quod nulla arte ad cryſtallos perduci poſſit: quare eum ſalem mirae ſpeciei, et medium martialem nominat, qui cum vitriolo mar-

p. 40. tis multam habeat affinitatem. Ochram denique ipſam examinat reperitque huius pulueris ſcrupulum vnum, grana ſedecim ferri, ſeu, vt mauult Cl.

p. 43. Auctor, minerae ferri dediſſe. Ex his praemiſſis colligit Cl. Auctor, contineri in aquis mineralibus *Stecknicenſibus aquam communem, ſalem medium martialem, mineram martis, et terram martialem.* Negat autem illis ineſſe nitrum, ſalem communem aut

p. 50. ſulphur. *Comparationem* nunc facit *aquarum Stecknicenſium cum illis fontis Pouhon Spadenſium*, quae eo redit, vt ſibi aliisque perſuadeat, aquas *Stecknicenſes* Spadanas, praeſertim *Pouhon*, longe poſt ſe relinquere, quod illae has copia ferri, et terrae multum ſuperent. Quod vltimum licet Cl. Auctori demus, minime tamen inde ad praerogatiuam, aquarum *Stecknicenſium* prae aquis *Spadanis* concludere licet, quia dantur aquae, per cuniculos ex ferri fodinis effluentes, *Stollen Waſſer* noſtris dictae, quae, quod copiam ferri et ſaporem ſtypticum attinet, cum aquis *Stecknicenſibus* perfecte conueniunt, minime tamen aquis medicatis adnumerari merentur. Ipſae noſtrae aquae *Lauchſtadienſes*, vt HOFFMANNVS et HENCKEL demonſtrauere, *Spadanas* quantitate terrae martialis praecedunt, nemo tamen auſus eſt eas cum *Spadanis* aequiparare, nedum his praeferre. Quibus ita ſe habentibus, ad experientiam, con-

confugiendum et expectandum est, quid haec nos in posterum docebit. Ad hanc autem prouocantes, nihil interea harum aquarum virtutibus derogamus: optamus potius ipsi, vt eiusmodi acidulae in vicinia essent, quae pretiosis et caris substitui possent *Spadanis*.

Properamus ad sectionem *tertiam*, qua Cl. Au- p. 54.
ctor vires medicas aquarum *Stecknicensium* exponit, simulque euincit, eas, dum fibras flaccidas solidorum roborant, debellandis morbis chronicis, quorum magna pars a solidorum debilitato tono proueniat, apprime conuenire. Quare non dubitat cachecticos, chloroticas, leucophlegmaticos, qui semper fibras habent laxiores, hypochondriacos, melancholicos, hystericas, generis neruosi debilitate, vt plurimum affectas, multum auxilii ab vsu aquarum harum sperare posse. Omnem autem earum virtutem in principio martiali quaerit, quo aquae hae abundant: quare etiam has in omnibus morbis salutares praedicat, quibus martialia medentur. Ex hoc principio martiali roborante etiam comprehendi posse ait, cur aquae *Stecknicenses* suppressum restituant fluxum menstruum, et exorbitantem contra coerceant. Repetit denuo suam adoptatam opi- p. 60.
nionem, cui per totum opusculum indulsit, aquas *Stecknicenses Spadanis* copiosiori, et fortiori gaudere principio martiali, ergo etiam maiores exerant virtutes tonicas necesse esse.

Finem facit sectio *quarta*, quae de recto p. 61.
vsu aquarum *Stecknicensium* agit, regulasque adiicit, tam aquarum vsui praemittendas, quam sub ipso vsu obseruandas diaeteticas. In principio curae venaesectionem praesertim commendat, quia aquae mineralis *Stecknicenses*, vti omnia martialia, orgasmum sanguinis mouent, sub ipso autem vsu omnia euacuationum genera sedulo vitanda, omni iure monet,

quia

quia roborantium medicamentorum vires nil magis turbent, et infringant, quam euacuantia: contra quam regulam ſalutarem atque rationalem tam multi medici practici ex inueterata quadam et praeconcepta opinione peccant, dum credunt, omnes curationes aquarum mineralium, etiam ferratarum, purgante remedio eſſe finiendas. Ceterum vſum cereuiſiae ſub potu aquarum diſſuadet, et vinum, aqua dilutum, inprimis rubrum *Burgundicum*, vel eius loco *Mellinicenſe*, commendat. Tandem conſulit, vt paruis partitisque portionibus aquas bibant, meritoque reprehendit conſuetudinem illorum, qui thermis Carolinis vtentes, incredibilem fere quantitatem aquae intra horae ſpatium deglutiunt.

XVI.

Ichthyologia cum amphibiis regni Boruſſici methodo Linnaeana depoſita, a IOHAN. CHRISTOPH. WULFF, Med. Doct. Regiomonti, apud Iohan. Iacob. Kanter. 1765. 8. pl. 5.

Continet hic libellus piſcium et amphibiorum, quae in Boruſſia reperiuntur, catalogum, ad quem perfectiorem reddendum varii alii quoque hiſtoriae naturalis curioſi, ſuam ſymbolam contulerunt. Vix tamen putamus, omnes in eo piſces marinos reperiri, qui ad littora Boruſſiae capiuntur, cum 53 tantum ſpecies piſcium, vna cum amphibiis nantibus in eo contineantur. Vſus eſt Cl. Auctor methodo Ill. LINNAEI, atque paſſim obſeruationes quasdam addidit. Ruſtici Boruſſici *teſtudines* (orbiculares LINN.) in cadis culinariis, in quibus iurulenta pro porcis colliguntur, aſſeruant, cum porcos inde pingueſcere, perſuaſum ſibi habeant. In eiusmodi vero habitaculis per aliquot annos

annos viuant. Species ſerpentum in Boruſſia reperiundae ſunt, *Coluber* berus LINN. cherſea, dirum venenum continens, natrix, nemini nocens, preſter et *anguis* fragilis LINN. Quod vero Cl. Auctor de iaculo, in frondoſis ramis arborum ſyluae cuiusdam habitante, narrat. vix ad africanum, vti putat, pertinet. Ex vulgaribus enim ſerpentibus nonnulli nonnunquam arbores aſcendere, ſaepeque ex vno loco ad alterum ſe iactitare experientia docet. *Cottus*, quadricornis LINN etiam, vt grunniens LINN., inſtante tempeſtate, boat, rictu oris dum boat valde propatulo exiſtente, et ob ſonum, qui boatum boum mentitur, *Seeholle* vulgo dicitur. In vniuerſum autem miramur, Cl. Auctorem in omni hoc libro nunquam Beat. KLEINII opere ichthyologico vſum eſſe, ex quo tamen forte piſcium Boruſſicorum catalogus longe auctior reddi potuiſſet.

XVII.

IACOBI THEODORI KLEIN, Imperial. Acad. ſcient. Petropol. Reg. Soc. Londin. Academ. Bonon. aliarumque, dum viueret, Societatum Membri. Oua auium plurimarum ad naturalem magnitudinem delineata et genuinis coloribus picta. Lipſiae et Regiomonti apud I. I. Kanter 1766. 4. pl. 5. tab. aen. color. pict. 21.

I. T. KLEIN *Sammlung verſchiedener Vögel-Eyer in natürlicher Gröſſe, und mit lebendigen Farben geſchildert und beſchrieben.*

Inſignis, quae in ouis auium colorum figuraeque conſpicitur, varietas, cum vnicuique ſpeciei propria et conſtans maxime ſit, haud dubie non ad ſo-

lam intuentium delectationem, ſed potius ad eſſentiales cuiuslibet auis proprietates pertinere videtur, ita, vt eiusdem in ſpecierum diſtinctione forte aliquis vſus eſſe poſſit, omninoque ad oui naturam ornithologiae Auctores attendere debeant. Quod bene intellexit clariſſimus huius operis Auctor, qui, pertractatis fere omnibus zoologiae partibus, huic demum, a plerisque neglectae, operam ſuam dicauit. Is enim appendicis loco ad *auium ſtemmata*, de quibus alio loco diximus * collectionem 145 ouorum, multa cum cura conquiſitorum, addidit, eorumque deſcriptioni, quamuis ſenectute fatigatus, vltimos vitae, tam laudabiliter geſtae, annos, immo menſes fere vltimos impendit. Quae quidem collectio etiamſi non plane abſoluta ſit; ſed multa potius cum exterarum, tum etiam indigenarum auium oua adhuc in ea deſiderentur, prima tamen in hoc genere merito dicenda eſt; atque MARSIGLI et ZINNANI ** ſcriptis huc ſpectantibus, inprimis cum icones, ab his Cl. Viris datae, nullis coloribus diſtinctae ſint, palmam facile praeripit. Nec ſunt tamen ſilentio a nobis praetereunda Cl. Viri GODOFREDI REYGERI, circa editionem huius libri, poſt mortem beat. KLEINII demum publicati, merita. Hic enim deſcriptiones, a KLEINIO exaratas ſecundum ordinem ſyſtematicum, qualis in *ſtemmatibus auium* conſtitutus eſſet, diſpoſuit. Fecit etiam hoc, vt, cum Auctor lingua vernacula et latina promiſcue vſus eſſet, germanicam aut latinam verſionem, vbi deſiderabatur, adderet, ita, vt nunc in vtraque lingua legantur iſtae deſcriptio-

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. IV. p. 629.

** Delle vove e dei nidi degli uccelli libro primo del conte GIUS. ZINANNI, Ravennate. In Venezia 1737. 4.

deſcriptiones. Ouorum in vniuerſum, vt diximus, ſunt 145. Singulis breuem aliquam deſcriptionem adiectam videmus, in qua Auctor aliquoties ZINNANI opera vſus eſt. Colores, quibus depicta ſunt oua, ſatis bene naturae reſpondent. Sunt etiam in illis oua plurima rariora, et nonnulla monſtroſa, v. c. ex gallina, columba etc. Iſpidae ouum albidiſſimum et quaſi vernice, eboris ad inſtar, imbutum, pellucidiſſimumque eſt, ita, vt albumen et vitellus oculis facile dignoſcantur.

Laudabile vero Auctoris libelli huius inſtitutum nos mouet, vt exhortandos putemus eos omnes, quibus incrementum hiſtoriae naturalis curae cordique eſt, velint diligenter coeptum a beat. KLEINIO laborem ſibi commendatum maxime habere, atque in obſeruandis auium ouis vlterius, ſi poſſint, progredi. Summa enim hac in re obſeruatur varietas, cum non ſolum oua ſpecierum vnius eiusdemque generis inſigniter differant, ſed et oua, ab eadem matre parta, non ſemper ſibi omni ex parte ſimilia ſint. Ita enim fiet forte, quod optat beat. KLEINIUS in praefatione huius libri, fore, vt poſt obſeruationes repetitas et conſtanter ſimiles, vel ex configuratione teſtarum, vel ex diuerſitate picturae, vel ex aliis criteriis, embryones foetuum maſculorum et foemineorum in ouis, nondum incubatis, praeſagiri poſſint.

XVIII.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie, und den damit verwandten Wiſſenſchaften. Siebender Band. Nürnberg, bey George Peter Monath, 1765. 8. Alph. 1. pl. 13. Achter Band. ibid. 1768. 8. Alph. 1. pl. 13. tab. aen. 2.

i. e.

Franconica collectio obſeruationum ex phyſica, medicina, re oeconomica et reliquis, affinitate quadam cum his connexis, ſcientiis depromptarum. Volumen VII. et VIII.

Vti iam alias in recenſendis prioribus huius collectionis voluminibus fecimus, vt ſcilicet eorum praecipuas tantum, ac medicas inprimis obſeruationes indicaremus, ſic et in his ſimili modo nobis agendum eſſe putauimus, praeſertim, cum plurima in his contineantur, quae vel non propriae ad medicinam ſpectent, vel leuioris momenti ſint, atque recenſione vix digna videantur.

Vol. VII. p. 21. Part. 37. N. 2. Cl. BOENNEKEN ſen. *de ſaliuationibus inopinatis quidem, attamen proſpere ſuccedentibus.* Obſ. 1.) Quinquagenaria arthritide vaga et vomitu perpetuo diu laborans, poſt vſum ſex granorum mercurii dulcis ſaliuatione correpta, plane conualuit. Obſ. 2.) Puella 13. annorum de digeſtione laeſa et flatulentia conquerens, ſumta drachma vna mercurii dulcis, in ſaliuationem incidit; ac deinde ſanata eſt. Obſ. 3.) Idem accidit feminae, eroſione et ulceribus cutis ac naſi affectae, quae vſu quatuor ſcrupulorum aethiopis mineralis cum rhabarbaro, orta ſaliuatione, plane curata eſt. Obſ. 4.) Vir vlcere inueterato laborans, et aqua-

aqua gryſea largiter tractatus, ſenſim ſaliuare incepit, et vlcus ſanatum eſt. Obſ. 5.) Alius malleoli interni carie afflictus, a mercurii dulcis granis tribus ſaliuationem expertus eſt, ac ſenſim plane conualuit.

N. 4. Cl. 10. CHRIST. HENNIKEN *de retentione vrinae lethali.* Quadragenarius crebriore vrinae retentione ac dolore diaphragmatis laborans, tandem arthritide et catarrho ſuffocatiuo periit. In ſectione cadaueris apparuit, cauitatem pectoris aliquam ſeri partem continere, veſicam vrinariam eſſe vacuam, in pelui renum vero haerere calculos duos, quorum vnus ſeſquidrachmam, alter drachmas duas cum dimidia pondere aequabat. p. 66.

N. 9. *Remedium ſpecificum in epilepſia infantum* conſtat e puluere oſſis ſemilunaris carpionum, quod pulmento infantum admiſcetur. p. 90.

Part. 38. N. 2. *Meditationes de ortu vitae et generatione.* Cl. Auctor 1) niuem liquefactam et filtratam in vaſis, charta cerata obturatis, putredini expoſuit, atque in hac microſcopio detexit animalcula parabolica, duabus extremitatibus obtuſis inſtructa, progreſſu lento, abdomine, duobus ouis referto. 2) Sero in vaſis obturatis putrefacto, varia vidit in eo animalcula viua. 3) Puluerem antherarum florum ſolani eſculenti aquae pluuiali deſtillatae immiſit, vas obturauit, ac deinde multa animalcula viua, hinc enata, vidit. 4) Albumen et vitellum oui recentis, aqua feruida dilutum, nulla oſtendit animalcula; vtrumque aqua pluuiali mixtum et in vaſis obturatis putrefactum, magnam eorum copiam continebat. 5) In vrina recenti microſcopio nihil viuidi detexit; in eadem vero, in vaſe, cera obturato, putrefacta, multa animalcula viua conſpexit. In ſpermate humano eadem vidit animalcula, quae LEDERMÜLLERUS deſcripſit. p. 122.

N. 4. IO. FR. BECK, *de permagnis cucurbitis*. Harum nonnullae aequabant pondere libras 55, 85, 72, 54, 110. Cl. DELIUS mentionem facit de raphanis, quorum decem centumpondium aequabant.

p. 238. Part. 39. N. 3. Cl. LEDERMÜLLERI *obſeruationes microſcopicae de polline antherarum tuliparum, atque de ſero ſanguinis*. Microſcopio detexit, varias tuliparum antheras habere pollinem duplicis et triplicis coloris. Hic aquam tingebat duplici colore, vt et ſimplex ſimplici. Hoc duplici ſucco varietas colorum ipſis tuliparum ſeminibus impraegnari videtur. Cl. Auctor e pluribus experimentis ſuſceptis coniicit, ſerum ſali ammoniaco magis ſimile eſſe, quam vrinam, et gluten, in peripheria guttae ſeri conſpicuum, multum aeris continere.

p. 259. N. 5 Cl. OESTERREICHER *de vſu mercurii ſublimati corroſui*. Eius drachmam dimidiam miſcuit cum aquae vnciis octo, et aegro dedit ſingulis diebus cochlear vnum eique ſuaſit decoctum tenue ligni guaiaci, quod nono die magis ſaturatum praeſcripſit, vſum vero ſolutionis mercurii ſublimati per quinque dies continuauit, et decimo quarto die curam euacuante et theriaca Andromachi abſoluit. Simili modo multos venereos ſelici cum ſucceſſu tractauit.

p. 269. N. 7. *De hydrope ſaccato ouarii*. Foemina ſenſit in pelui tumorem pugni magnitudine, qui per triplicem grauiditatem magis increſcebat, aegra tandem in hydropem incidit et periit. In eius cadauere viſum eſt ouarium ſiniſtrum aqua et hydatilibus repletum, ac in eius fundo haerebat oſſiculum ſemipollicis longitudine, atque trium linearum latitudine, quod ſcapulae deſtructae ſimile erat.

p. 318. Part. 40. N. 2. Cl. DELII *medela variolarum malignarum*. Puellae quadrienni, variolis lente erumpen-

erumpentibus, applicauit veſicatoria, et aegram, languore et angina grauiter decumbentem, ſenſim cortice Peruuiano aptaque diaeta reſtituit.

N, 3. Cl. HERWIG *de felici exſtirpatione tumoris inguinalis.* Sexagenarius diu laborabat ſcirrho inguinali, qui tandem inflammatus, haemorrhagias crebrius excitabat. Cl. Auctor ligauit hunc tumorem et ſcalpello exſtirpauit; pondere aequabat libras duas et dimidiam, atque ſubſtantiam ulcerosam, calculoſam et glanduloſam continebat, aeger vero conualuit. p. 329.

N. 9. *De effectu, poſt eſum cancrorum eorumque lapidum, percepto.* Quidam enim ſemper, ſi eſerat cancros, incidit in anxietatem, calorem et pruritum corporis, et in facie erumpebant puſtulae. Idem ei accidit ab uſu pulueris lapidum cancrorum. p. 367.

Part. 41. N. 4. Cl. HIRSCHING *hiſtoriae foeminae mortuae viſae et rurſus excitatae.* Sexagenaria in febre continente incidit in ſyncopen, vt mortuae ſimilis eſſet; interea omnia ſenſit et audiuit, ſed rigiditate corporis impedita eſt, quo neminimum quidem vitae indicium oſtenderet. Tertio die, cum iam ſepelienda eſſet, a ſuccuſſione ſenſim expergefacta eſt et conualuit. Videtur igitur incidiſſe in catalepſin ſeu rigorem, cuius mentionem iam fecit AETIUS, in quo aegri rigeſcunt, loquela et ſenſu carent, pulſus et reſpiratio vix percipitur, et membra definitum ſitum retinent. p. 406.

N. 5. Cl. GESNERI *hiſtoria morbi et ſectionis foeminae hydropicae.* Quadragenariae ſaepius rediit hydrops, et accedente prolapſu vaginae et exomphalo, eoque rupto, tandem aegra febre lenta periit. In eius ſectione viſum eſt corpus pyriforme, in abdomine haerens, decem pollicum longitudine, ſex p. 424.

pollicum latitudine eademque craſſitie, e pluribus hydatitibus compoſitum.

V.VIII. p.10. Part. 43. N. 2. Cl. DELII *obſeruationes de ſectione foeminae grauidae ſubmerſae.* Vtrum foetus maſculus, an foemininus in vtero lateat? vix certo praedici poſſe, hac ſectione declaratur. In hoc enim cadauere erat mamma dextra maior, latus dextrum abdominis magis eleuatum ſiniſtro, in ouario dextro conſpiciebatur papilla rubra, rupturam ſuperficiei indicans; hinc foetus maſculus in vtero latere putabatur. Sed inueniebatur puella ſemeſtris.

p. 19. N. 3. Cl. LEDERMÜLLERI *tentamen comparationis pollinis antherarum cum animalculis ſpermaticis et ſucco lacteo ficuum.* Refutatur Cl. HILL, qui in *ſyſtemate generationis plantarum* dicit, obſeruaſſe microſcopio germina, flammea forma, in polline antherarum amaryllidis, quae Cl. Auctor in nulla planta detegere potuit. Materia, quam HILL *ceraceam* appellat, pollini exterius tantum adhaeret, ac potius melli, quam cerae ſimilis eſt; ſubſtantia interna durior eſt et granuloſa. Flores ſemine vno v. c. ceraſa, quorum quaelibet anthera ad minimum centum granula pollinis continet, ſatis demonſtrant, non in quolibet eiusmodi granulo latere germen, vti HILL ſtatuit, alias enim eiusmodi ſemen plura germina haberet, in quo tamen vnum tantum latet. Hinc putandum eſt, naturam aequali modo pollinem antherarum ad fructificationem plantarum adhibere, cum ſimilis fere eius quantitas in floribus, qui vnum germen, quam in iis, qui plura contineant, deprehendatur. Ducitur itaque ſuccus pollinis per papillas ſtigmatis earumque ductus ad ouarium, et germini, in embryone ſeminis latenti, vitam praebet. Cl. Auctor animalcula

ſpermatica

ſpermatica, in ſemine praeſentia, ſtatuit, eorumque motum, motui piſcium ſimilem, microſcopio obſeruauit, atque hinc concludit: ad vitam ouorum plantarum producendam requiri materiam balſamicam fluidam, quam ſiſtunt granula pollinis antherarum, a ſole impraegnata: ad vitam vero animalium requiri ſemen viuum, quo omnia animalia, adeoque inſecta, praedita ſunt; quo autem modo hoc ſemen agat, adhuc latet. Succus ficuum lacti ſimilis eſt, et in arbore, foliis ac fructu haeret, hinc Cl. Auctori ſimili modo ad fructificationem inſeruire videtur, quam ſuccus pollinis antherarum in aliis plantis.

N. 5. *De ſecalis ſpecie*, Staudenkorn *dicta*. p. 63. Haec tantopere fertilis eſt, vt duae menſurae ſatae 352 menſuras proferant, quod partim eius macerationi antea faciendae, partim, quod omnia granula ſeorſim ac profundius ſeruntur, adſcribendum eſt, quodlibet enim granulum 20 — 30 caules proferre ſolet. In Dania nomen *ſecalis aegyptiaci* accepit.

P. 44. N. 2. Cl. BOENNEKEN *de vſu inſigni aquae pluuialis in variis morbis externis.* p. 116. Obſ. 1.) Nauta incidit in febrem acutam et eryſipelas cruris, quod Cl. Auctor, cum iam gangraena immineret, inuoluit linteis, aqua pluuiali tepida madefactis, et aegrum breui tempore reſtituit. Obſ. 2.) Simili modo tractauit bono cum ſucceſſu vulnus inueteratum pedis prope tendinem Achillis, cui acceſſerat eryſipelas. Obſ. 3.) Alius, quem, poſt venaeſectionem, pedis eryſipelas, et ſerum acre, inter digitos effluens, vexabat, epithemate aquae pluuialis ſanatus eſt. Obſ. 4.) Eodem remedio infans triennis in vlcere femoris leuamen haud exiguum percepit.

N. 4. Cl. DELIUS *de fructificatione artificiali coryli.* p. 159. Corylus ſatiua, fructu rotundo maximo,

proferebat tres flores foemineos, nullos vero iulos; ſuper hos itaque haeſit Cl. Auctor ramulum alius coryli, iulis refertum, et nuces maturas accepit. Altero anno nullos flores habuit, tertio flores foemineos, qui, maſculis carentes, ſteriles permanebant; quarto anno duos iulos appendebat et varios flores foemineos, quorum fructus ad maturitatem perueniebant.

p. 169. N. 5. Cl. LEDERMÜLLERI *conſideratio vlterior lactis ficuum, ſiue ſucci albi ficus, cum animaduerſionibus.* Amarus eſt, acris, glutinoſus, ſpiſſus, bullulis aereis refertus. Cauſſae, cur idem praeſtet, quod pollen antherarum in plantis, hae ſunt; 1) cum haereat in ligno, foliis et fructu; 2) cum in fructu maturo parcior et mitior fiat; 3) cum fructus conſtet e floribus floſculoſis foemineis, quorum corolla exterior clauſa ſit. Superius, vbi vmbilicus conſpicitur, multa foliola acuta figuram roſae ſiſtunt, exterius quatuor adſunt, quae vmbilicum componunt, interius plura, quam centum, quibus Cl. Auctor vſum antherarum adſcribit, quod ſcilicet horum tubulis ſuccus albus ad flores foemineos defertur.

p. 267. Part. 45. N. 4. *De contagio gangraenae.* Ruſtica boui, gangraena inteſtinorum laboranti, brachium in inteſtinum rectum immiſit, ac ſtatim ſenſit eius inflammationem et puſtulas erumpentes, ac in haemoptyſin et febrem acutam incidit, aptis vero remediis conualuit.

p. 322. Part. 46. N. 5. *De vermibus ſanguinis.* In foeminae grauidae ſanguine, e vena ſecta emiſſo, conſpiciebatur vermis viuus, 17 annulis inſtructus, laeuis, pellucidus, capite, cauda et collo albo, roſtro magno, quem Cl. Auctor per tres dies in ſero viuum ſeruauit; adiicitur hic eius icon.

N. 8.

N. 8. Cl. DELIUS *de nouo ſale Fridericiano aperitiuo.* Haec ſalina, in ditione Hildburghauſenſi ſita, diu quidem cognita, ſed anno 1763 demum reſtituta eſt, atque continet ſal mirabile GLAUBERI natiuum, cuius cryſtalli parallelopipeda ſiſtunt; ſapor eſt refrigerans, leuiter amaricans; in aere calido ſatiſcit in puluerem album, atque tum dimidiam ponderis amittit. Cryſtallorum doſis a drachmis 6 — 12 aluum euacuat; exſerit vim carminatiuam, antiphlogiſticam, digeſtiuam, antiſpaſmodicam, et in febre intermittente, digeſtione laeſa, malo hypochondriaco et hyſterico, atrophia, dyſuria, lue venerea, odontalgia, cet. maxime prodeſt. p. 344.

Part. 47. N. 2. *De bile, excerpta ex litteris* Cl. GESNERI ad Cl. D. C. P. G. Cl. Auctor haec experimenta partim cum bile exſiccata et per 46 annos conſeruata, partim cum bile bouina recenti inſtituit. Prior eſt fuſca, dura, odore moſchi, ſapore maxime acri, glutinoſo; ſoluitur et a ſpiritu vini et ab aqua, odore et amaritie integra relicta. Hae ſolutiones ſebum non ſoluebant. In ſolutionem huius bilis aquoſam miſcuit Cl. Auctor ſebum, quod ſtatim, affuſa aqua vel ſaliua, ſupernatabat; idem fecit oleum oliuarum. Eadem ſolutio bilis aquoſa, calori 20 grad. REAUMUR. expoſita carnem bubulam et pinguedinem immiſſam in 24 horis non corrupit, ac tandem exſiccata, cum vtroque odorem moſchi communicauit. Eadem calefacta, lac affuſum in eodem ſpatio temporis nauſeoſum reddidit. Idem effecit bilis bouina recens, carne, pinguedine, lacte mixta. Hinc patet, bilem non eſſe ſaponaceam, nec pinguia cum aqua coniungere, cum boues, bilem ſecernentes, victu pingui careant. Non facile putreſcit, cum per duos dies in calido conclaui cum aqua mixta, et ſola per ſex dies ſine odore ingrato et pura maneat. p. 381.

maneat. Odor moſchi bilis diu ſeruatae declarat eius vim antiſepticam et balſamicam.

p. 398. N. 3. *Remedium peculiare in hernia applicandum.* Cl. Auctor cataplaſmate e baccis iuniperi recentibus, in butyro frixis, herniam incarceratam ſubito ſuſtulit.

p. 410. N. 5. Cl. DELIUS *de peculiari aqua fontana flaua.* In pago *Eckartsmühlen* hic fons reperitur, eiusque aqua in fine aprilis flaueſcit, ac ſenſim uſque ad octobrem magis tingitur, donec colore ſenſim decreſcente, turbida, opaca et lacteſcens redditur, atque ſic per hyemem permanet. Sapor eius eſt paululum ſalſus; leniter euacuat. Eius librae quinque in retorta vſque ad ſiccitatem deſtillatae, exhibebant ſedimenti fuſci 43 grana, quod detonatum, decrepitatum, et cum ſpiritu nitri efferueſcens ſoluitur. Idem aqua ſolutum et filtratum, dedit cryſtallos nitri, denuo euaporatum, cryſtallos ſalis communis flauas, tertio euaporatum, ſal alcaleſcens.

p. 418. N. 7. Cl. SINNERI *mixtura, loco foecum adhibenda,* conſtat ex decocto lupuli, farina tritici, albumine oui et ſaccharo.

p. 480. Part. 48. N. 2. *De taenia, hiſtoria morbi.* Foemina aliquoties, poſt vſum pillularum GRAFTONI, partes varias taeniae eiecit, quae in aqua calida vitam diu ſeruabant. Paroxyſmi creberrimi ſemper incipiebant cephalalgia inſigni, ſpaſmo nuchae, quo ſenſus obnubilabantur, vomitu ſuffocante, et finiebantur deiectione alui ac magna debilitate. Ad hunc morbum profligandum ſuaſit Cl. Auctor corticem Peruuianum, martialia, et ſpigeliam.

p. 485. N. 3. *De excretione ciborum diu retentorum.* Puella eſit fabas albas coctas, easque poſt decem demum hebdomadas integras per aluum eiecit.

p. 506. N. 8. Cl. FICHTNERI *relatio de riuulo Rehauienſi margaritis pleno.* Multae quidem conchae in

in hoc riuulo reperiuntur, paucae tamen margaritas continent; nonnullae, fundo accretae, sponte secedunt et valuas aperiunt, vt alimenta accipiant. Mense augusto capiuntur conchae, aperiuntur, et margaritae maturae eliguntur, conchae vero, immaturis refertae, alio loco vsque ad earum maturitatem seruantur. Non solum rotundae margaritae, sed pyriformes etiam, quamquam rarius, inueniuntur. Margarita initio guttulae paruae sanguinis similis est. Conchae margaritiferae nutriuntur gramine, pisciculis, cancris paruis.

XIX.

Medical Essays and Observations. By CHARLES BISSET, Med. D. Newcastle upon Tyne. Printed by I. Thompson. 1766. 8. pag. 304.

i. e.

Disquisitiones et obseruationes medicae. Auctore D. CAROLO BISSET.

Qui iam ex variis eruditis innotuit scriptis Cl. BISSET, in his etiam disquisitionibus morbos eorundemque symptomata cum cura exposuit et boni studiosique obseruatoris officia expleuit, non inutilia permulta momenta animaduertens, id quod et nos impulit, vt de singulis, quantum necesse fuit, accurate exponeremus. Non possumus tamen non diffiteri, sibi multum fauere Cl. Auctorem, quum non raro libere profiteatur, plerosque a se descriptos morbos aut nouos, aut minus recte ab aliis propositos fuisse, de qua re perlectis hisce, rerum gnaris, iudicium relinquimus. Variae doctrinae specimina autem haec sunt:

1. *Theoria*

1. *Theoria de calidarum regionum ventis, frigidiuſculis, Sea and Land-Breezes, in mari et terra flantibus.* Cl. HALLEY ob rarefactum inferiorem aerem terrae calore et radiis ſolis, ex maris ſuperficie, reſtituendi aequilibrii cauſſa, ventum excitari probat, inde autem ventos nocturnos non explicari Noſter putat, quorum itaque rationem dare annititur. Continuatur ille plerumque per tria milliaria
p. 3. a ripa maris in terram, et poſt primam vel ſecundam horam matutinam deinde deſinit. Quoniam valles et humilia ad ripam maris loca interdiu ſolis calore multum exaeſtuantur, et magis ac montes, poſt occaſum ſolis, in ſuperiorem frigidiorem auram aſcendit inferior, a ſuperiore denſiore preſſus, vſque dum denſitate et calore aequilibrium obtinetur, hinc frigidior ventus in terra. Superior itaque atmoſphaera nunc rarefacta ſuppletur aere, ex mari adueniente et ventum in illo efficiente.

p. 4. 2. *Aerem Indiae occidentalis* conſiderat Noſter. Ille maris vento fixo aequalis perpetuo ſiccam tempeſtatem facit, exhalationibus maris temperatam, in continente vero terra tempeſtas variat, plerumque aeſtate et autumno pluuioſa, hyeme et vere ſicca. Pluuiae quantitas eſt in ratione ſoli diuerſi paludoſi aut ſyluis inſtructi. Maris atmoſphaera rariſſime nubibus obducitur. Nebula tenuis circa terram fluctuat, putat autem, eam ex viſcidis, ſalinis oleoſis, reſinoſis gummoſisque particulis conſtare, nec non ex exhalantibus mineralibus vegetabilibusque acidis, cum ferrum iis arrodatur, et argentum, claues forficesque, in marſupio detenti, polituram amittant; hinc concludit, epidemicorum morborum
p. 9. fomitem putridum non eſſe. Aer tamen terrae in torrida zona minus marino ſalubris eſt, quippe qui

vel

vel nimis calidus vel nimis ſiccus ſit et vaporibus vitiatus. Exinde nunc conſiderat Cl. Auctor:

3. *Cauſſas ſanitatis externas communes et morbos endemios Indiae occidentalis.* Has ex ante dicta atmoſphaerae qualitate egregie deducit, habita ſimul conſideratione ſoli, per quod aer transfertur. Animaduertit autem, raro aſthmaticos hic inueniri, et cibos copioſiores ob celerem digeſtionem requiri. In morbis autem praeualet bilioſa diſpoſitio, parum ad inflammatorios tendunt, propter tranſitum frigidi aeris in calidum, verticalis ſolis aeſtu excitatum, vnde ſolidae laxantur corporis partes, ſanguis rareſit et leuior redditur, ſi itaque ex quacunque cauſſa corripit peregrinum febris, protinus in malignam bilioſam vel dyſentericam bilioſam illa conuertitur. p. 11.

4. Huius itaque *febris bilioſae Indiae occidentalis hiſtoriam* ſubiungit Cl. BISSET, quippe quam per quadriennium ibidem commoratus, frequentius vidit. Haec potiſſimum inuadit aduenas, et qui nondum per annum incoluerunt has regiones, rarius incolas. Decurſus totius morbi, qui fuſe et accurate deſcribitur, breuiter a nobis referendus hic eſt: Venientem morbum ſignificat laſſitudo, agrypnia, appetitus proſtratus, pondus ventriculi, pallor faciei, vagi calores et dolores in lumbis vel capite. Horripilatio, quam mox excipit calor ingens febris ardentis. Haec porro omnia conſueta excitat ſymptomata, reſpiratio tantum celeris, ſed libera eſt. Protinus autem cum nauſea accedit vomitus bilis viridis, frequens, copioſiſſimus, nonnunquam ſimilis diarrhoea, reiiciuntur, quaecunque adſumſerit aeger. Nunc febris parum augetur, pulſus ſit paruus, celer, irregularis, vrina craſſa, anxietas praecordiorum continua, nonnunquam haemorrhagia narium profuſa. Tertio die tunica oculi p. 20.

con-

coniunctiua et facies flaueſcit, cephalalgia miteſcit, vomitus continuat, febris decreſcit, lingua arida fit, dolor ingens circa praecordia, vrina ſaturata, quaſi ſanguine tincta. Quarto die oculi profundius tincti, vrina lintea bilis colore inficit, febris magis imminuitur, extrema parum calent, vomitus iidem minus bilioſi. Hypochondria tenſa tumidaque fiunt et dolent. Quinto die exit ſanguis ex gingiuis, ore, rarius per vomitum vel aluum reiicitur, ſi veſicatoria applicata fuerint, ſanguis per eadem exit, icterus increſcit, ſitis et febris nulla, virium proſtratio ſumma. Tandem accedit ſingultus, tremor artuum, coma, apoplexia, mors *. Haec ſymptomata et decurſus morbi duratione variant, ita, vt intra ſeptem horas letalem morbum eueniſſe viderit Cl.
p. 31. Auctor. Singulare eſt, cum vomitu reiici humorem fuſcum, coffeae ſimilem, aliquot ante mortem horas. Sanguis, ex vena miſſus, coagulatur, parum ſeroſus eſt, ſerum globulos innatantes rubros oſtendit. Poſt mortem vibices et ſtigmata liuida in cadauere obſeruantur. Periculum magnum eſt, ſi icterus cito apparet, quo citius ceſſat febris ſine criſi, eo citius funeſta. Icterus, ſeptimo die accedens, cum pulſu aequali, morbum leuat, inprimis, ſi cutis humida fit, et ſedimentum flauum in vrina apparet. Aliquando trahitur morbus et tandem, ſed difficulter euadit aeger, vel in malignam intermittentem febrem degenerat, vel in cachexiam incurabilem, morbus.

Varia deinde differit Noſter, de febrium ha-
p. 41. rum differentiis. Prophylactica cura eſt in munditie et

* Conferri meretur IOANNIS MOULTRIE, Diſſ. de febre maligna bilioſa Americae. Edimburg. 1749. habita, quam recudi curauit. E. G. BALDINGER. Longoſaliſſae 1768. 4.

et aeris liberioris vſu. Methodus Cl. HILLARY conſiſtit in larga venaeſectione, calidae multae vſu, et opio, praemiſſo euacuante remedio, deinde diaphoreticis, antiſepticis, potiſſimum infuſo ſerpentariae et croco, vino ex madera, elixir vitrioli et ſucco limonum, cum aqua diluto. Cortice autem Peruuiano ille vti non poterat, ob ingratum, quem deteſtabantur aegri, ſaporem. Non arridet tamen Noſtro haec medendi ratio, ſi malignitas adſit, veſicatoria etiam reiicit Cl. HILLARY, quem ſuſpicatur veras malignas febres non curaſſe. Eſt vtique in applicandis remediis diſſenſus medicorum, quae recte Noſter iudicat accommodanda eſſe variis caſibus, quum et ipſe, decoctum corticis Peruuiani non raro profuiſſe, inuenerit. Quo melius ea pateant:

5. *Momenta ex diſſectionibus cognita, nec non proximas bilioſae febris cauſſas*, perpendit Cl. Auctor. p. 47. Recenſet caſus tres: 1. In nauta, tertia die morbi obeunte, inuenit pinguedinem, omentum, inteſtinorumque canalem, colore bilis tincta. In ventriculo continebatur ex nigro virideſcens, foetida materies, duodenum naturalis coloris et ieiunum liuidum, in ileo vermis, craſſa inteſtina collapſa erant, nec non vaſa meſaraica. Liuidum vero colorem non a gangraena, ſed a ſanguine, extra vaſa miſſo, factum eſſe, docuit pars inteſtini duodeni abluta et alba reddita, in quo nulla inflammationis praegreſſae ſigna aderant. Cyſtidis felleae bilis erat denſa, viridis, vena caua turgens, ſanguine plena, aorta collapſa; cordis ventriculus dexter, ſanguinem fluidum, rubrum, odoris non foetidi continebat, vaſa pulmonum et encephali turgida apparebant. 2. Alius nauta, octauo die morbi emortuus, in p. 52. omento pingui, bilioſi coloris, hydatides oſtendebat, oleoſo ſero plenas, nec non tales in meſocolo.

Hepar, ab omnis inflammationis ſignis liberum, in cyſtide continebat bilem viridem, libere in inteſtinum duodenum promouendam: in inteſtinis ſanis, humor coloris fuſci, nigricantis. Iam per quin-
p. 54. que menſes defunctus in Indiis vixerat. 3. Nauta alius, quinque etiam menſes in his locis degens, ſexto iam die exſpirauerat, dolore vehementiſſimo epigaſtrii excruciatus. In omento et meſenterio vaſa, ſanguine turgida, conſpiciebantur, in villoſi ventriculi tunica inflammationis quidem notae aderant, quae vero a vehementi et enormi vomitione proueniſſe, hoc in caſu ſuſpicatur Cl. Auctor. In duodeno bilioſa, nigricans, foetidiſſima materies, ſimilis in tenuibus occurrebat, in cyſtide fellea bilis craſſa. Hepar ſanum erat, nec tantillum inflammatum: cor dextrum amplum, ſanguine turgens, ſiniſtrum vacuum reperiebatur. In dextra auricula, intus hydatides, oleoſo ſero plenae, adhaerebant, nec non tales in dextri ventriculi ſuperficie interna. Putredinis itaque praeſentiam et progreſſum indagaturus Noſter, ſanguinem ex dextro corde, bilem deinde veſiculae felleae, et humorem bilioſum, in duodeno contentum, ſeparatim, leuiter tectos, aeri expoſuit. Hora decima quarta foetor iam ſanguinis apparebat, longe maior vero putredo intra idem tempus in humore duodeni bilioſo, bilis tandem ipſa, nec decima quinta hora praeterlapſa, mutabatur. Hinc concludit, bilem per ſe non putridam, retentam tamen et in inteſtinum duodenum effuſam, vehementer vitiari a ſuccis corruptis et putridam reddi, reſorberi per vaſa lactea, et icterum producere, nec non aliam bilis portionem in hepate, ad vaſa redeuntem, ſanguini adfundi et per corpus cum eo duci. Per vomitum frequentem, ſanguinem etiam copioſius ferri et impetuoſius moueri per hepar, bilisque ſecretionem augeri. Suppeditauit

peditauit autem haec disquisitio occasionem proponendi:

6. *Obseruationes de putredine, et de concoctione humoris peccantis in febribus*, quibus sententiam, malignas febres a putrida humorum fermentatione oriri, oppugnat. Licet enim putridas febres aliquas, a putridis v. c. exhalationibus oriri concedat, non tamen demonstratum esse adserit, effluuia haec fermentum esse, siquidem alias omnis humorum massa in vniuersum a tali inficeretur fermento. Percurrit eapropter Cl. Auctor varios morbos aeque ac remediorum vires et effectus. Sic in febre biliosa diathesin sanguinis putridam, effectum magis ac caussam esse docet. Tenuitas sanguinis corrigitur acidis, cortice Peruuiano et similibus, cum in aere detentus sanguis attenuetur et vehementer foeteat, accedente demum putredine. Sanguis in febre pectechiali, ex vena missus, coagulatur, in medio rubet, paucum serum habet, quod cum cruoris globulis intime cohaeret. Hinc febris maligna dependet a peccante humore, qui, si felix debeat exitus esse, est concoquendus, nec putridus fit, si res male cedit, nisi stagnet, id quod aptis tamen praecaueri potest remediis. Diuersitas huius febris multiplex nascitur, vel a caussis externis, vel ab idiosyncrasia aegri. Cortex Peruuianus concoctionem materiae peccantis non efficit, in inflammatione tamen gangraenam cohibet, non antiseptica, sed roborante sua virtute, quum alia antiseptica, eademque valentiora remedia in his casibus nihil proficiant. Acida remedia in lentis et malignis febribus non sufficiunt, praeter antisepticam vim etiam refrigerant, iuncta cum cortice febrem intendere obseruantur, dum scilicet vitalem vim dirigunt, crasin sanguinis seruant, vt peccans materia coquatur

p. 66.

p. 69.

p. 73.

p. 77.

p. 79.

p. 81. Sic etiam mercurius in ſcorbuticis morbis idem facit, antimonium emeticum aliquando protinus mouet et expellit peccans liquidum. Alia remedia particulares acrimonias corrigunt, vt ſaſſaparilla, ſulphur,
p. 83. Veſicatoria in malignis febribus materiam peccantem ad peripheriam corporis attrahunt. Itidem in his laxantia leuiora vim vitalem liberiorem reddunt, obſtructiones ſoluendo, perſpirationem augendo, impediendoque, ne maligna ad ſanguinem deferatur
p. 85. materia. Nec ſucci plane animales, vt bilis, putredini magis fauent, quod multi opinantur. Bilis enim ſanguine lentius putreſcit, facilius ſucci, acido chylo foeti, in quo caſu ieiunia ſunt valde opportuna. Tandem tamen aliquae febres fere putridae ſunt, quarum exempla Cl. Auctor affert, et quibus pleraeque apoplexia finiuntur, et ſolis vegetabilibus paſta animalia quoque inuadunt.

p. 92. 7. *Curatio colicae neruoſae.* Inter omnia praeſtantiſſimum vidit Cl. Auctor auxilium eſſe in ſaliuatione, per calomel excitata. Vſus eſt eo primum anno 1743. et, quam primum glandulae ſaliuales intumeſcunt et ſaliuam fundunt, protinus dolores colicos in perpetuum fugari vidit. Veſicatoria etiam, femoribus ſuperius anteriusque impoſita et applicata, nonnunquam profuere. Purgans remedium lene et efficax in ſemuncia ſalis catharctici, cum ſemine aniſi decocta et ſoluta, inuenit. Saliuatione autem ingruente, protinus laxans dandum eſſe ſuadet.

p. 96. 8. *Tetanum ſymptomaticum* conſiderat Cl. Auctor. Maxillae inferioris ſpaſmus, ſeu partialis tetanus, capitis vulneribus, amputationibus, fracturis complicatis, nec non ſimplicibus aliquando fracturis, luxationibusque accedit, frequenter in Indiis occidentalibus. Praecipue, ſi iam gangraena partes

tes affecerit, cum illa etiam iungitur difficultas deglutiendi. Inuadit plerumque tetanus quarto poſt amputationem die, et poſt quatuor vel quinque dies funeſtus eſt, notante iam HIPPOCRATE. Exem- p. 100.
plum tamen affert Noſter hominis, decimo ſexto die demum liberati atque ſanati. Solum eſt auxilium in cortice Peruuiano, praecipue in locis calidioribus. Huius decoctum copioſe ſumendum eſſe ſuadet, atque amputatum membrum, ſpleniis eo humectatis, continuo fouendum. Opium enim in vniuerſum reſpuit. Superuenit idem morbus inflammationi ventriculi, quod duplici obſeruatione confirmatur, in qua ſaepe repetita venaeſectio profuit.

9. *Diſquiſitio phyſiologica perſpirationis et me-* p. 107.
dicamentorum topicorum ingreſſus, ad loca affecta profundiora. Quum nondum ſatis clare, impeditae transſpirationis phaenomena, dilucidata fuiſſe credat Cl. Auctor, inſpirationis exiſtentiam, ex ingreſſu ſalis, carnis ſuperficiei affricti, vel adſperſi, deducit, in viuo corpore minorem. Conſiderat aeris temperiem, et vim corporis intrinſecam, ad perſpirationem requiri, cognito iam modo docet. Pinguedinem eam p. 112.
moderare credit, reſorptionem autem augere calorem et frictionem: pori laterales, vaſculorum etiam internorum, tunc recipiunt moleculas, extus ferendas, idem officium eſt vaſculorum lymphaticorum valuuloſorum. Qua occaſione, horum naturam ab- p. 116.
ſorbentem, iam FRID. HOFFMANNO cognitam fuiſſe, nec recens eſſe inuentum, excitata deſcriptione coniicit, arteriasque lymphaticas reiicit.

10. *Curationem ophthalmiae* expendit. In p. 119.
ophthalmia, a cauſſa ſcrophuloſa, omnia incaſſum adhibebantur, ſetaceum ad maxillae inferioris latus

dextrum adplicaturus Cl. Auctor, glandulam minorem tumidam inueniens, eam aufert et ramum maxillaris externae arteriae laedit, qui haemorrhagiam excitat ſic, vt eam ligare debuerit. Quo facto, inflammatio et ſymptomata omnia ceſſant, inprimis dato cortice Peruuiano, atque mane, affuſa frigida ſupra caput. Effectum autem ſoli haemorrhagiae non ingenti, tribui non poſſe cenſet, quum ante iam vena ſecta fuiſſet aliquoties, ſed quod arteria angularis diſcindebatur. Setacea autem ſaepe magni vſus fuiſſe reperit, ſi non nuchae, ſed angulo maxillae fuerint applicata, et vtroque oculo ad-
p. 124. fecto, ſub mento, immo egregiam vim praeſtitere in oculi bulbo toto inflammato. In ſcrophuloſis tamen glandulis, parotidibus, et aliis in collo, melius iudicat Noſter, eroſionem earum per cauſtica. Conducunt porro veſicatoria, capitis vertici impoſita. Notamus inſuper, nos ipſos non raro a fonticulis, hic loci excitatis, effectus proſperos obſeruaſſe.
p. 126. Aethiopis mineralis vſum recte ſimul internum commendat. Maculae maiores corneae ſaepe ſponte iterum euaneſcunt, nec cauſticis protinus opus eſt, collyrium ex boracis drachma ſemiſſe et ſacchari drachma vna, aquae roſarum vnciis duabus exceptis, hic multum iuuat, vel aluminis vſti puluis, ſaccharo admixtus, nec non alumen rupeum cum albumine
p. 132. oui et aqua ſubactum. Ophthalmia magna, a tenui nigra particula, corneae inſidente, lanceola ablata, curata eſt, quam ab inſecto inſidente prouenire, relatum legit Noſter.

p. 133. 11. *Obſeruationes de morbo iliaco eiusque cura.* Quum in hoc morbo inteſtina inflammentur, vario modo et gradu, tres eius diſtinctiones, ceu ſpecies, recenſet Noſter. Prima leuiſſima eſt, mitioribus ſymptomatibus ſtipata, quam facile leuant venae-

ſectio,

sectio, enemata demulcentia, lenia laxantia, et potissimum lac recens ebutyratum; vel, si aluus resep. 136.
rari nequeat, drachma vna vel duae mercurii crudi, cum lacte iam dicto, et vesicatorium in crure. Altera est pessima species, cum vomitu et febre, quarto die funesta, quae requirit praeter venaesectiones, scarifationes, femoris vesicatoria, laxantia et potissimum hydrargyrum, omni semi hora ad duas drachmas, embrocationes abdominis et clysmata. Tertia species medio inter has loco incedit, iuniores maxime corripit, sine vomitu est et parum anxietatis secum habet. Inuaginationem intestinorum colicae flatulentae effectum esse, arbitratur. Praeter iam dicta, vix opus est mercurio crudo, maxime conuenit mercurius alcalisatus.

12. *De tumore vesicae vrinariae inflammatorio.* p. 142.
Hunc nondum descriptum dilucidat Noster. Inuadit cum symptomatibus inflammationis, durities in regione vesicae, cum stranguria, anxietas, sitis ingens, obseruantur. Durus tumor sensim increscit, aluus ex compresso intestino obstruitur et aegre soluitur. Morbus intra vndecim dies lethalis est. Habet species duas, in vna inflammatio praeualet, quam in scirrhum abiisse, vidit Cl. Auctor, in altera magis oedema est, et tumor mollior esse deprehenditur. Pauciſſima secernitur vrina, sedes morbi in externa eius tunica et peritonaeo est. In priori specie conducit venam secare, aluum lacte ebutyrato et clysmate aperire, nec non soluto sale cathartico, hypogastrium spiritu MINDERERI perfricare, vesicatorium applicare. Si inflammatione dissipata, tumor cum incontinentia vrinae supereſt, prosunt pilulae, ex sapone hispanico, et mercurio alcalisato, cum balsamo de copaiua, praeparatae. Victus

ſit vegetabilis. In altera ſpecie reuulſio per veſicatoria malum leuat.

p. 151. 13. *De dyſuria chronica*, et ea quidem, quae ab acri, cuiuscunque demum generis, humore, ad veſicam vrinariam determinato, producitur, diſſerit Cl Auctor. Bene autem monet, diſtinguendam eſſe ab ea, quae a calculo proficiſcitur. Aggreditur hic morbus, conſiſtentis aetatis homines praecipue, ita, vt ex irritatione veſicae, ſanguis etiam excernatur. Eſt enim in hoc morbo, inflammatorius internae tunicae veſicae ſtatus potiſſimum ad eius collum, cuius rei diuerſae cauſſae ſunt. Raro in vlcus tranſit, analogia cum lippitudine huic morbo intercedit. Sectiones denſitatem veſicae tunicarum et vaſa turgida oſtenderunt, hinc etiam mi-
p. 159. ctus quandoque cruentus fit. In chronico hoc morbo, inefficacibus aliis remediis, opem tulit egregiam Noſtro ſaliuatio, reſoluendi et deriuandi cauſſa adhibita, dolores enim protinus, vbi labia et os intumeſcunt, ceſſarunt; ad praeſeruandos paroxyſmos,
p. 161. prodeſt fonticulus, ſupra genu applicatus. In aetate prouectis autem hominibus hanc methodum inconuenientem iudicans, aquam calcis cum decocto Lapathi aquatici magni et lacte commendat, matutino vero tempore electuarium ex vua vrſi, pro potu ordinario, decoctum maluae cum lacte. Notat etiam, ſolutionem mercurii corroſiui vtilem fuiſſe, nec non reliquas diaetae regulas recenſet.

p. 165. 14. *De chorea S. Viti.* Rarior conuulſiuus morbus occurrit Cl. Auctori, intra quinque annos, quinquies; inuadit ille tantum infantes, cuius cauſſam in ſcorbuticos humores defert, rariſſime a vermibus prouenire vidit, ſiquidem, nec morbus, vermibus fugatis, ceſſarit; nec non a repreſſa ſcabie ortus eſt.

Curatio

Curatio autem ſucceſſit optime, ſi, praemiſſo anthelmintico, ſequens electuarium diutius adhibebatur: Florum ſulphuris vncia vna et ſemis, pulueris radicis poeniae et valerianae ſylueſtris, cuiusuis drachmae tres, cinnabaris antimonii drachmae duae, et moſchi atque caſtorei ſcrupulus vnus, cum ſyrupo ſacchari, in electuarium compoſiti. In decremento morbi deinceps, cortex Peruuianus in tinctura conuenit, et balnea in aqua marina, quae multum praeualent aquae fluuiatilis frigidis balneis, a quibus quippe morbus adauctus eſt, inprimis, ſi recens fuerit. Eius tamen atque marinae aquae frigidae vſum egregium, in morbo, iam diu durante, inuenit. Immo, ſi pertinax ille fuerit, veſicatorium, nuchae et deinde oſſi ſacro applicatum, profuit, vel collum et ſpina dorſi, ſpiritu vini camphorato, inuncta. Nocent venaeſectio et laxantia, quum morbus in paralyſin pronus ſit. p. 170.

15. *De tuſſi conuulſiua infantum.* (King Cough or Hooping Cough). Quod plus interdum docta, valeat hoc malum arte, practicis non ignotum eſt medicis; adnotauit autem Cl. Auctor, eum certos tantum occupare tractus, per aliquot menſes durare, a tempeſtate vnice non dependere. Praecedit eam, tuſſis parua, ſicca, augetur haec ad conuulſiuam vſque, prima tuſſis ſimilis eſt exanthematicis morbis accedens, cum morbillis et variolis conuenit morbus, quod bis hominem non inuadit, contagioſus eſt, nec poteſt in progreſſu impediri. Infantibus vnius anni, et prius dentes canini quam eruperint, ſaepe funeſtus eſt, reliquis non aeque. Qui naribus ſanguinem fundunt, aut tuſſiunt, plerumque euadunt. Optimum eſt auxilium in leni emetico ex oxymelle ſcillitico, et mannae ac rhabarbari vſu, deinde in cortice Peruuiano praecipue in declina- p. 173. p. 178.

tione morbi, et ſi paroxyſmi longa interualla habent. Si diu durat, nec compeſci poteſt, abit in morbum ſcrophuloſum, rhachiticum, vel phthiſin. Nonnunquam aqua frigida, ſaccharo vel melle edulcorata, iuuat, optime, ſi teneriores, vnius alteriusque anni infantes, fuga deſerant loca affecta.

p. 186. 16. *De taenia et methodo, eam expellendi*, praemiſſis notis, illam indicantibus, nihil vnquam remedia quidquam boni effeciſſe reperit, ſolo excepto et quaſi ſpecifico, gummi guttae, ſeu cambogia, cuius quindecim grana, cum extracto gentianae in forma pilularum, exhibuit vna vice.

p. 195. 17. *Sequitur deſcriptio ſcorbuti, qui in terra continenti regnat*, ex diſſertatione, Cl. Auctoris manu ſcripta, extracta. Cauſſam proximam in acrimonia humorum ponit, cuius diuerſitas etiam p. 208. differentes morbos excitat, quorum peſſimus ſtatus eſt cancer, cuius et ſcorbuticorum vlcerum indolis analogiam, ex notis eruit Noſter. Afficiuntur etiam lymphatici ſubtiliores ſucci, et tres claſſes morbi p. 200. diuerſas conſtituunt. *Primam*, cruda maſſa corrupti humoris, per totum corpus diſtributa, conſtituit, cuius ſymptomata, ex corruptis ſuccis enata, fuſe recenſet Cl. Auctor. *Secunda* claſſis complectitur morbos, in quibus humores ſcorbutici, ſecreti a reliquis, cutaneas eruptiones faciunt, vt arthritidem, ereſypelas, cet. Tunc humores longe acriores fiunt et effectus violentiores edunt, gingiuas tamen p. 212. nondum afficiunt, immo verus ſcorbutus muriaticus, longe facilius concoctionem et curationem admittit, ac hic deſcriptus. *Tertia* claſſis continet ſcorbutos ſingulares extraordinarios, a cauſſis occaſionalibus plerumque excitatos. Indolem humoris peccantis in prioribus claſſibus, acidum eſſe dicit, oleo rancido intime

intime varia proportione mixtum, quod lente et difficillime ſubigi atque alcaliſari debet, actione nimirum vaſorum et caloris conueniente gradu, vt ſapo exiſtat. Quoniam vero haec dyſcraſia ſcorbutica neruorum quoque morbos producit, opportunitas inde data eſt, vt proponantur:

18. *Obſeruationes nonnullae de variis conditionibus huius morbi, praeſertim, quod morbum hypochondriacum concernit.* Praemiſſis omnibus, quae noſcuntur, morbum hunc effeciſſe, cauſſis, eum in laxitate et debilitate ſolidarum partium, canalis praecipue alimentorum, iuncta acri ſcorbutica dyſcraſia ponit Cl. Auctor, ſimulque ſymptomata, ceu effectus, cum cauſſis non confundenda eſſe docet, his autem accommodari debere remedia exhibenda. Notat inſuper, hypochondriacam affectionem a ſcorbuticis humoribus, plerumque cum febre coniungi et lingua viſcida; ſi vero mentem afficiat ſimul, quod ad nobiliora viſcera materia acris conuertitur, abdomen liberari, linguam meliorem reddi et ſymptomata priora ceſſare. In obſtinatis maxime affectionibus ſibi fatetur Noſter ſaliuationem leuem optimos ſucceſſus dediſſe, et exemplis confirmat. Florum ſulphuris vſus quoque multum iuuit, cum cremore tartari. p. 217. p. 223. p. 240. p. 246.

19. *De ſcabie ſcorbutica.* Huius duae ſpecies ſunt, altera leuior et curatu facilior, ſcabiei in vniuerſum ſimillima, altera pertinacior. In priori vtile fuit balneum, aquae marinae calidum, in qua antiſcorbutica, vel ſulphur decoctum fuerat, purgantia frequentiora minus fauent. Altera ſpecies quandoque per annos durat, maiores puſtulas, aliquando etiam in facie producit, atque ſcorbuto habituali fouetur, ſuaque tempora habet. Aqua marina ad p. 259.

vncias

vncias ſex, mane, ieiuno ſumta ventriculo, profuit, et in decremento balnea frigida aquae dulcis vel marinae, ſine noxa morbum tollunt. Infectionem recentem deſtruit mox ab initio adhibitum vnguentum
p. 269. ſulphuratum. Mercurius interne et externe applicatus, non ſemper conducit: maiori cum fiducia adhibentur decocta lignorum, corticis Peruuiani, ſulphur et antimonium crudum, alia, atque aquae minerales, inter quas laudari meretur, *Harrogate water*, quod multum ſalis marini, atque parum ſulphuris volatilis continet. Retropreſſa haec ſcabies innumera mala producit, quare

p. 275. 20. *Caſus, poſt retropulſam ſcabiem*, malas ſequelas docentes, recenſentur duo, quorum alter, non obſeruato regimine, funeſtus, alter vero, ob bilis corruptae, per draſtica remedia expurgatae, euacuationem ſanitati reſtitutus fuit.

p. 283. 21. *Tumor oedematoſus genu cum inflammatione* proponitur. Enatus eſt a febre intermittente, intempeſtiue ſuppreſſa, venaeſectio ſexies repetita, cum aliis remediis conuenientibus, et balnea, in quae totum corpus immergebatur, inprimis aquae marinae frigida, plus valebant ac ſemicupia et ſtillicidia.

Additur his, dyſuriam non a ſpaſmis, ſed a minimorum etiam vaſculorum ceruicis veſicae nimia diſtentione prouenire, inque poſteriore caſu cereum, oleo illitum, in veſicam introductum, vaſa comprimendo et reſtituendo tonum, tollere morbum affirmat. Nec non alias animaduerſiones ſimiles ſubiungit. Sequuntur etiam:

p. 289. *Obſeruationes chirurgicae ſex.* 1. Pleuritidis in empyema abeuntis, quod, iam hectica furente febre, apertum eſt inciſione larga, et euacuauit vna

vice

vice quatuor libras puris albi non foetidi, deinde minus, et per quinque menſes omni die vncias quatuor, tandem pus, per bronchia receptum, ore expulſum eſt. In alio, cui pulmo accretus erat ad pleuram, perfecta tandem obtinebatur ſanatio. 2. Sectionem calculi Cheſeldenianam, qua ſpecillum a miniſtro, non ab operatore tenendum eſt, defendit et modum docet, ſimulque vt fiſtula praecaueatur et vrina per vrethram exeat, adhibendum eſſe cereum, ſuadet. 3. In feminis, ad extrahendum calculum, indicem digitum in vrethram immittendum eſſe, nec incontinentiam vrinae ſequi, exemplis confirmat. 4. In panaritio cum carie tertiae phalangis, non amputandam eam eſſe, ſed reſecta cute et carne, eximendum os, quo et vnguis remaneat, nec deformis reddatur digitus. 5. Sutura interrupta ad conſuenda vulnera non valet, variamque curationi incommoda opponit, hinc vult Cl. Auctor adhibere ſuturam contortam. Optimum nobis videtur auxilium in labiis vulneris, ſenſim per faſcias adducendis. 6. Lycoperdi ſeu bouiſtae, prae agarico in ſanguine coercendo, facultatem extollit.

XX.

MARCI ANTONII PLENCIZ, Medici Vindobonenſis, opera Medico - Phyſica, in quatuor tractatus digeſta, quorum primus, contagii morborum ideam nouam, vna cum additamento, de lue bouina, anno 1761 epidemice graſſante, ſiſtit: ſecundus de variolis: tertius, de ſcarlatina: quartus, de terrae motu, ſed praecipue illo horribili agit, qui prima nouembris 1755. Europam, Africam et Americam conquaſſabat. Vindobonae, typis Io. Thomae Trattner, 1762. 8. Tom. I. pl. 16. Tom. II. pl. 18. Tom. III. pl. 14. Tom. IV. pl. 8.

In praefatione, tomo *primo* praemiſſa, Cl. PLENCIZ multum conqueſtus eſt, communem et huc vſque receptam *de contagio* ſententiam adhuc multis obuolui tenebris, talibusque premi difficultatibus, vt difficulter ad eas reſponderi poſſet. Hinc ſibi propoſuit, arduum hunc laborem ipſe aggredi, et tentare, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, num meliorem ſcilicet, et veriorem de contagio exhibere poſſet ideam, qua omnia phaenomena explicentur, et plurimae difficultates remoueantur. *Tribus* ſectionibus, in quas primum tomum diuiſit, id praeſtare annititur.

In *prima* ſectione agit de *contagio in genere.*
p. 5. Contagium Cl. Auctori eſt *illa vis, qua affectus aliquis, occupans vnum corpus, communicatur alteri.* Ab extrinſeco igitur aduenit: Sed vult Cl. Auctor, dari etiam contagium, quod corporibus iam inhaeret, et ſuapte natura, data occaſione, in actum rapitur. Licet morbi contagioſi ſaepe etiam epidemici ſint, et

et vice verſa, vt variolae, morbilli etc. bene tamen inter ſe ſunt diſtinguendi; quia dantur morbi epidemici, qui non ſunt contagioſi, vt febres intermittentes, et rheumatici: et e contrario contagioſi, qui non ſunt epidemici, vt ſcabies, podagra, lues venerea, cet. Natura contagii in morbis contagioſis, qui pure ſunt epidemici, quum ad cauſſas manifeſtas aeris queant referri, facile quidem concipi et explicari poſſet. At enim vero, quum multi dentur morbi, qui non ſunt epidemici, longe maior oritur difficultas definiendi, in quo proprie horum conſiſtat contagium, ipſiusque contagii natura. Diuerſas igitur, celeberrimorum in arte virorum, de contagio opiniones collegit, ponderauit et examinauit Cl. Auctor, vt videret, quae ex his magis reſponderet phaenomenis. Hunc in finem diuerſas mouit quaeſtiones: e. g. quare a variolis, variolae; a morbillis, morbilli oriantur? Deinde, quare contagium certam tantum animalium ſpeciem, iam boues, nunc oues, mox ſues, mos equos, afficere ſoleat? Porro, quomodo fiat, vt materia contagioſa diu latere poſſit, et, data modo occaſione, in actum rapiatur? Tandem, quare materia contagioſa ſit tam facile communicabilis? Et quum multas inter inquirendum inueniret difficultates, quibus communis et recepta de contagio opinio, qua contagii naturam per fermentationis, aut efferueſcentiae modum explicare ſtudebant, non ſatisfaceret: aliam contagii theoriam, quae priores difficultates facilius, et ad ductum naturae conformius expediret, formare conatus eſt. Cauſam nimirum materialem contagii ſupponit, et hanc in miaſmate verminoſo, ſeu principio aliquo ſeminali verminoſo, ſpecie diuerſo, quaerit. Et hac ratione omnia contagii phaenomena exponere putat. Vera igitur animalcula in omni contagio admittit, et vt eorum praeſentiam

p. 9.
p. 12.
p. 20.
p. 32.
p. 36.

ſentiam probabiliorem reddat, ad materiae diuiſibilitatem in infinitum confugit: quae quidem in ſenſu mathematico, vera eſt, ſed in ſenſu phyſico, impoſſibilis nobis videtur.

p. 44. Sequitur ſectio *ſecunda*, quae de putredine, de eius natura, cauſſis, et effectibus agit. Laudat veteres, quod circa putredinem magis ſolliciti fuerint, quam recentiores, quos ſolo putredinis nomine contentos, alioquin parum affectos eſſe de natura putredinis, dicit. Hinc mirum non eſſe, ſi adhuc in obſcuro lateat, quid proprie ſit putredo. Examinatis igitur circumſtantiis, quae putredinem concomitantur ac ſequuntur; diſcuſſis quoque di-

p. 53. uerſis auctorum, de putredine receptis, ſententiis: naturam putredinis in aprico nunc eſſe aſſerit. Tunc enim ſecundum Cl. Auctoris ſententiam, corpus aliquod putreſcere dicendum, quando ſeminium verminoſum animari, euolui, et multiplicari incipiat.

p. 55. Hoc diuerſis argumentis, obſeruationibus, et experimentis Cl. Auctor confirmare annititur, et ad dubia, quae contra hanc explicationem formari poſ-

p. 75. ſent, ſatis apte reſpondet. Poſita hac putredinis idea, putredinem et contagium ita inuicem necti perhibet, vt contagium in noſtro corpore ſine putredine eſſe non queat, adeoque eadem ratione vtrumque exponi debeat. In miaſmate ergo illo animato, quod in qualibet materia purulenta inueniri, et armato oculo obſeruari, Cl. Auctor affirmat, rationem propagationis et inſitionis variolarum, aliorumque morborum quaerit: quemadmodum etiam in vi vermifuga et vermicidia virtutem antiputredinoſam mercurii et corticis Peruuiani, in morbis contagioſis latere, credit. Ex praemiſſis his et coniunctis de contagio et putredine ideis, nunc facilius et expeditius, quam ex vlla alia, de contagio opinione, vix non omnes difficilesque quaeſtio-

quaeſtiones ſolui et enodari poſſe, perſuaſiſſimum ſibi habet. Ventilat quoque quaeſtionem, vtrum p. 120.
putredo et contagium ſua ſeminia ab externo ſemper adipiſcantur? an vero talia ipſis inſint corporibus? ſed poſteriorem opinionem defendit, ſeminia nimirum corporibus ineſſe, et, data occaſione, euolui, id quod exemplis, ex hiſtoria naturali deſumtis, confirmare ſtudet.

Nunc memorat commoda, quae ex noua ſua p. 131.
de contagio theoria ad rempublicam eiusque ciues redundare poſſent. Vnum eſt, quod, quando perſuaſi eſſemus, contagium conſiſtere in ſeminio verminoſo, certiora et efficaciora inuenirentur antidota, quae miaſma contagioſum ſtatim infringerent et deſtruerent. Alterum eſt, quod medici ope huius theoriae erudirentur, quale, quod frigus et calorem attinet, regimen in morbis acutis tenendum ſit. Tertium commodum tangit praeſertim p. 140.
artem veterinariam, cui multum lucis inde affundi arbitratur. Plurima enim huc vſque in vſum tracta remedia plus detrimenti, quam emolumenti attuliſſent bobus. Quodſi autem ad luis contagio- p. 158.
ſae materiam animatam, ſeu putridum miaſma verminoſum in poſterum cura dirigeretur, et appropriata anthelmintica adhiberentur, plus commodi inde reipublicae Cl. Auctor pollicetur. Ceterum praerogatiuam ſuae de contagio ſententiae etiam in eo ponit, quod ex illa non ſolum hominum, ſed et brutorum morbi contagioſi facilius et planius, quam ex alia ſententia concipi et exponi poſſent.

Tranſit ad ſectionem *tertiam*, quae de rubigi p. 163
ne, eiusque cauſſis et effectibus inſcribitur. Per rubiginem intelligit illum vegetabilium vel frugum ſtatum, quando fuſco, aut rubro, aut nigro colore afficiuntur. Rubiginis ſicut contagii et putredinis naturam nondum legitime eſſe explanatam, eiusque

theoriam profundis adhuc obuolutam tenebris, perhibet. Minime illam a gelu oriri, vt huc vſque plerumque creditum fuit, quare Cl. Auctori, nec Cl. LOEWENHOECK, nec aliorum de rubigine ſententia arridet, potius cauſſam, vti in contagio, in certo quaerit ſeminio verminoſo, quo vegetabilia corripiuntur, et in quibus dein vlterior fit ſeminii euolutio. Hoc ſeminium diuerſimode aduenire, et a ventis, pluuiis, rore vitiato, ſeminio tali foetis, vegetabilibus aduehi poſſe, perſuaſiſſimum ſibi habet. Hinc quoque rationem patere, cur ex tritico rubiginoſo ſato pariter triticum rubiginoſum producatur. Probatiſſima ergo contra rubiginem eſſe remedia, quae verminoſum ſeminium necant, ne vlterius propagetur, cetera fruſtranea. Quare non mirandum, quod morbi contagioſi tantum connexionis cum rubigine haberent, ſaepeque ab illa
p. 179. penderent. Rubiginoſam enim anni 1757 conſtitutionem, quae omnis fere generis vegetabilia infecerat, potiorem fuiſſe epidemiae petechialis tunc graſſantis cauſſam, firmiſſime credit. Id quod ex nonnullis tunc concurrentibus circumſtantiis comprobat. Ex his ſequentia colligit; primo, quod ſicut homines ab eſculentis rubiginoſis morbos contagioſos ſibi contrahant; ita pariter bruta animalia ſaepe contagioſa ſtrage afficiantur. Secundo: quod in morbis contagioſis hominum et brutorum rariſſime ad hanc cauſſam aduertatur. Tertio: quare plebeii, et infimae ſortis homines prae reliquis hoc morbi genere laborarint? Quarto: quare hoc anno omnis fere generis exanthemata graſſata fuerint, e. g. variolae, morbilli, purpura, petechiae etc. quod alias rarum eſſet, et ex miaſmate verminoſo ſpecie diuerſo explicari deberet. Quod ſi enim omnis fere generis vegetabilia rubigine affecta eſſent, inde etiam ſpecie diuerſa ſeminia verminoſa

ortum

ortum trahant, neceſſe eſſe. Ex nexu itaque, quem inter ſe contagium, putredo et rubigo haberent, liquere, vt de contagio acturus, ſimul ad naturam putredinis et rubiginis reſpiciat.

Ad tractatum de contagio adiecit Cl. Auctor adhuc *additamentum, de lue bouina ad finem vergente anno* 1761 *epidemice graſſante; item de eiusdem cauſſis, praeſeruatione et curatione.* In duas ſectiones hoc digeſſit. In *prima* ſectione diſputat de natura et cauſſis luis bouinae. Quod ad naturam huius luis attinet, probat, eam eſſe non ſolum epidemicam, ſed et contagioſam. Contagioſam ideo, quia cum aliis poſſit communicari: conſtat enim ex factis experientiis, luem bouinam per inſitionem eodem modo, ac variolas et morbillos poſſe propagari. Cur autem tantum cum bobus, nec aliis animantibus communicetur, in eo quaerit, quod bobus tantum quaedam diſpoſitio ad ſuſcipiendum et euoluendum tale miaſma inſit, quae aliis abeſſe videatur. Cauſſam huius luis deriuat quidem a ſeminio verminoſo, non autem in frugibus rubiginoſis latente, ſicut in ſuperioribus fecit: ſed in ſuperficie terrae, ad graminum et herbarum radices haerente, et ab ore armentorum inter paſcendum prehenſo, deglutito, et ad maſſam humorum delato. Refert porro ſymptomata, quae hanc luem bouinam comitantur, inter quae adducit, in materia, ex vlcuſculis faucium et narium deſtillante, ope microſcopii inueniri et detegi innumerabiles vermiculos, quare eos pro cauſſa materiali luis bouinae accuſat.

p. 197.

p. 203.

p. 210.

Sequitur ſectio *ſecunda*, quae de luis praeſeruatione, curatione, aliisque, ad hanc ſpectantibus agit. Praeſeruatio in eo conſiſtit, vt armentorum cuſtodes bobus potum aquae purae et motu depuratae procurent, eosque arceant a potu aquae deſidis ac ſtagnantis, quas innumera continere ait animalcula

p. 217.

et ouula, quae, vna cum aqua deglutita, humores ad putredinem disponerent. Deinde vt caueant, ne armenta ad pascua deducantur, dum haec aliqua rubiginis nota conspergunturSi vero ad pascua du-
p. 221. cenda sunt, hoc fiat tarde. Grassante vero iam contagione, sequentia suadet: primo; sana animalia caueant a pascuis, aqua, foeno, stramine et omni supellectili, quo, lue affecta, vtebantur: secundo; omne commercium cum infectis dirimatur: tertio; praesepia conseruentur munda, et saepe purificentur, quarto; a veterinariis commendata setacea et inustiones adhibeantur, fortiores et frequentiores cum strigili instituantur frictiones: quinto; ex remediis, vermifuga et vermicidia, vno verbo anthelmintica, eligantur. Inter haec reliquis omnibus anteponit mercurium dulcem cum camphora, quem etiam praeseruationis gratia exhiberi cupit. Quia vero hoc remedium miserae rusticorum sorti nimio esset pretio, mercurium cum aqua decoqui, et hanc decoctionem cum aqua potus ordinarii misceri iubet. Immo vero nec dubitat, solutionem mercurii sublimati in spiritu frumenti, cuius compositionem exhibet, proponere et commendare; licet nullibi dicat, eum ipsum cum hoc remedio in bobus fecisse periculum: quod tamen, vt nos quidem opinamur, antea fuisset necessarium, quam commendasset. Aliter se habet cum vitriolo albo, quod etiam tanquam anthelminticum extollit, ipse tamen ex-
p. 238. pertus est. Addit quaedam ad mitiganda vrgentiora symptomata, quae luem bouinam plerumque comitantur. Haec sunt oris lotiones et absterfiones, in fauces cum syringa iniectiones, clysteres et
p246. q. s. r. Vsum tandem carnis et lacticiniorum, immo adipis, sebi et corii boum infectorum merito reiicit et damnat, quicquid etiam aliqui nimis laxi, vt vocat, obgarriant medici, carnes nempe et lacticinia

cinia infectorum armamentorum insontia autumantes.

Tractatus *secundus*, de variolis inscriptus, non in sectiones, vt prior, sed in quinque capita diuisus est. Caput *primum* exponit quaedam, ad variolas spectantia. Quoniam Cl. Auctor variolas a seminio verminoso deriuauit, idque de nouo non produci, neque generari, sed tantum euolui docuit: non potest non, quin affirmet seminium verminosum omni aeuo extitisse, et variolas tempore HIPPOCRATIS, et ante illum grassatas fuisse, licet plus in Africa et America, minus vero in Europa et Asia, illisque omnium minime prouinciis, quas HIPPOCRATES, CELSUS et GALENUS inhabitabant, ideo earum eos non potuisse facere mentionem. Tr. II. p. 20.

Caput *secundum* insignitur de diuisione, differentiis et descriptione variolarum. Proponuntur a Cl. Auctore consuetae variolarum diuisiones et differentiae, vbi veras a nothis variolis in eo tantum distinguit, quod verae in suppurationem tenderent, secus ac nothae, quae saepe inopinato erumperent, et bidui aut tridui flaccescentes, exsiccarentur. Contra Cl. SYDENHAM sententiam, variolas, verno tempore grassantes, esse magis discretas et benignas; hiberno vero occurrentes, vt plurimum malignas, monet Cl. Auctor, se Viennae contrarium obseruasse, praecipue in recentissima epidemia, quae hyeme intra 1759 et 1760 Viennae infantes et adultos agressa est. Malignae indolis semper sunt variolae, quas exanthemata miliaria concomitantur et sequuntur, raro enim iudicant. Idem fere euenit in omnibus aliis acutis morbis, quando miliaria febribus continuis, et inflammatoriis malignis, potissimum peripneumoniae et pleuritidi accedunt: signum, vti nos quidem opinamur, plerumque incipientis gangrenae p. 29. p. 38. p. 48.

p. 58. grenae et ſphaceli. Peſſimum ſymptoma variolarum eſt micturitio, quae funeſtiſſimae illi aderat epidemiae, quae 1745 et 1746 Viennae graſſata eſt, multosque e vita ſuſtulit. Malignitas autem haec minime regimini calido, aut peruerſae methodo adſcribenda eſt, ſed genio epidemiae.

p. 63. Caput *tertium* exponit variolarum aethiologiam. Omnes fere notae hic a Cl. Auctore recenſentur tam veterum, praeſertim Arabum, quam recentiorum medicorum de cauſſis variolarum ſententiae, quae vix non omnes reiiciuntur. Ex parte Cl. Auctori quidem placet Celeb. quondam Wratislauienſis Medici IOH. GOTTFR. DE HAHN ingenioſa ſententia, quam breui ante ſuum obitum cum eruditis communicauit: interim tamen eam naturae et origini variolarum contrariam declarat. Reiectis ſic omnibus aliis de cauſſa variolarum opinionibus, ſuam in *primo* tractatu de contagio ſtabilitam ſententiam, quod ſcilicet variolae habeant ſuae
p. 78. ſpeciei propria ſemina, denuo in medium profert, nouisque argumentis corroborare, et a contraſentientium dubiis et obiectionibus vindicare annititur: ex putredinis praemiſſa idea probans, animalcula illa verminoſa in variolis obſeruata non eſſe
p. 87. effectum, ſed cauſſam putredinis. Et vt omnia conſentiant, non dubitat, aſſerere miaſma varioloſum diu iners in corpore latere poſſe, antequam in actum deducatur, et eius ſeminia euoluantur. Hac quaque ratione nonnulla alias explicatu difficillima phaenomena facilius exponi poſſe autumat, quod qui-
p. 96. busdam exemplis illuſtrat. His praemiſſis, aliquot regulas ad faciliorem prognoſin formandam adiungit, quae omnem merentur attentionem.

p. 105. Caput *quartum* ſiſtit curationem variolarum, earumque ſymptomatum: item, inſitionem, diuerſasque de variolis obſeruationes. Habet autem hoc

hoc caput tres sectiones, quarum *prima* variolarum curationem exhibet. Meminit remedii a Cl. BOERHAAVE commendati, et ex mercurio et antimonio parati, quia hoc immediate in miasma varioloſum, tanquam vermicidium agere credit, et ab eius vſu variolas pauciores et benigniores fore ſperat. Deinde inquirit in methodum medendi, quae pro vario p. 113. larum conditione et diuerſitate adhibenda et varianda eſt. Differre enim haec debet in infantibus, in adultis, in variolis diſcretis; in confluentibus, in benignis, in malignis. Venaeſectionem praeſertim commendat in magna febri varioloſa; vel quando infantes ſimul febre inflammatoria ex dentitione laborant: in quo vltimo tamen caſu extractionem ſanguinis per hirudines, poſt aures applicatas, venaeſectioni anteponit, huiusque remedii inuentionem ſibi tribuit. In malignis variolis, ſi ordinaria anti p. 136. phlogiſtica non ſufficiant, ad corticem Peruuianum, tanquam ad ſacram anchoram, confugit, quem omnibus aliis notis remediis praefert, et ſi infantes hunc auerſantur, in clyſteribus iniiciendum ſuadet. Inter remedia diluentia antiphlogiſtica, ex auctoritate Cl. SYDENHAM, et propria experientia, ſpecies quaedam potus *Hydrogala*, Cl. Auctori dicta, quae e tribus aquae purae partibus, et vna lactis, addito ſaccharo ad gratiam, conſtat, primatum obtinet. p. 148. In illa peculiari et valde maligna variolarum ſpecie, in qua ſanguis non ſpiſſus, ſed diſſolutus eſt, ſpiritus vitrioli vnicum Cl. Auctori videtur remedium, a quo in deſperato hoc morbo aliqu dſit ſperandum Nunc diſputat Cl. Auctor, quid in cura variolarum, malignarum ab vſu mercurii expectari poſſit? quum is, ſecundum Cl. Auctoris theoriam, variolarum curae non aduerſetur, et ab aliis medicis praeſtantioribus iam in vſum ſit vocatus. Caute tamen cum hoc mercandum eſſe, ipſe monet, et, ſi exhibendus

ſit, in maiores partes, ſeu, vt dici ſolet, groſſo
p. 159. modo diuiſus, exhibeatur. Perpauca adhuc de inſitione, ſeu inoculatione variolarum adiicit, cui ideo non fauet, quia praematura euolutio cum ſua non concordat theoria.

p. 162. Sequitur ſectio *ſecunda*, quae de curatione ſymptomatum, quae in variolis obſeruari ſolent, agit. Haud paruus eſt numerus ſymptomatum, quae variolas concomitantur et ſubſequuntur. His quomodo ſuccurri debeat, Cl. Auctor docet Praecipua ſymptomata ſunt conuulſiones, diarrhoea, haemorrhagia, delirium, phreneſis, vbi pro re nata, venaeſectionem, antiphlogiſtica, lenia laxantia, paregorica, ſpiritum vitrioli et veſicatoria commen-
p. 174. dat. Tranſit ad febrem ſecundariam, quam omni cura, omnique diligentia auertere, et ſi hoc fieri nequeat, mitigare ſaltem ſtudet. Funeſtiſſima in hoc ſecundo ſtadio ſymptomata ſunt micturitio, vrinae plenaria ſuppreſſio, ſubita depreſſio puſtularum, faucium inflammatio, impedita, deglutitio, ptyaliſmi diminutio, ſaliuae morbificae, per ſaliuales glandulas excernendae, ad nobiliora viſcera repentina depoſitio, lethalis diarrhoea, oculorum inflammatio, et ſuppuratio, aurium obſtructio et fluxio, abſceſſus, vlcera maligna exedentia, furunculi, phthiſis, febris lenta, tabes. Vrgentiſſimis his ſymptomatibus, variis remediis et conſiliis obuiam ire docet. Inc pro facta indicatione, demulcentia, paregorica, antiſeptica, inter quae cortex Peruuianus eminet, fomenta, cataplaſmata, clyſmata, veſicantia, quin immo venaeſectionem, et pro re nata, mercurialia laxantia adhiberi ſuadet. Finem facit ſectio *tertia*, quae particulares quasdam de variolis obſeruationes et annotationes continet. Sunt quatuor et decem caſus ſingulares varioloſorum, qui partim morbo occubuerunt, partim ex eo euaſerunt. His ſelectiores

inſperſit

inſperſit annotationes, inter quas notatu digna vi- p. 266.
detur illa, quam de vſu cicutae in vlceribus can-
croſis, quae non raro variolas ſequuntur, adiecit,
quem vero infructuoſum, contrarium, ſaepeque no-
ciuum inuenit, plusque cortici Peruuiano in talibus
caſibus fidit.

Progredimur ad tractatum *tertium* de febre T. III.
ſcarlatina inſignitum. Hanc Cl. Auctor in praefa-
tione praemiſſa, ob ſuam ſaeuitiam, peſtem iuuen-
tutis merito vocat, et, quod ad eius principium, de-
curſum et curationem attinet, mance tantum de-
ſcriptum putat. In *nouem* ſectiones digeſtus eſt tra
ctatus. Sectio *prima* ſcarlatinae hiſtoriam, et de-
ſcriptionem, Cl. Auctoris obſeruationibus reſpon-
dentem, exhibet. Scarlatina eſt morbus contagio-
ſus, epidemicus, exanthematicus, plerumque iu-
uentutem inuadens, interdum tamen, licet rariſſi-
me, etiam adultos. Datur benigna, datur maligna. p. 10.
In omni ſcarlatina aegri conqueruntur de deglutitione et reſpiratione difficili, faucesque habent ru-
bentes et tumentes. Exanthemata, quae ſuperue-
niunt, primis morbi diebus, colorem habent ru-
brum cinnabarinum, inde ſcarlatina vocata. Circa p. 13.
finem horum exanthematum ſaepe, quamuis non
ſemper, obſeruatur ſingulare hoc phaenomenon,
quod die ſexto aut ſeptimo, poſt eruptionem ſcar-
latinae, certae puſtulae, ſeu papulae, praeſertim in
manibus et pedibus appareant, quae miliaria alba
referre videntur, licet merae ſunt veſiculae vacuae,
et nil niſi aera in ſe contineant, quo etiam a pur-
pura alba diſtinguuntur. Inde fit quoque cutis de-
corticatio. Aſt hoc particulare habet is morbus,
quod aegri, ſi nonum, decimum, vel vndecimum
attigerint diem, bene ſe habeant, vt adſtantes, eos in
vado conſtitutos eſſe credant: aſt maximum adhuc

imminet periculum. Decimo enim quarto et quinto die poſt ſuperatam ſcarlatinam de nouo aegrotare incipiunt, toto corpore tumidi fiunt, et leucophlegmatico turgent tumore. Leucophegmaticus hic tumor potiſſimum ſuperuenit illis, qui copioſis aut malignis ſcarlatinae exanthematibus affecti fuere Quo maior enim fuit tumor, eo maiorem aegroti experiuntur cutis decorticationem. Plures quoque hoc ſtatu hydropico moriuntur, quam primo ſcarlatinae ſtatu. In duo igitur ſtadia diuidi debet ſcarlatina. Primum ſtadium complectitur ea omnia, quae a principio morbi vſque ad ſtatum illum leucophlegmaticum eueniunt. Secundum ſtadium illa, quae ſub, et poſt modo dictum tumorem accidunt. Interim minime ita neceſſarium eſt, vt iſte tumor abeſſe non poſſit. Nonnulli enim illo tumore plane liberi ſunt: interdum tamen periculoſus ille ſtatus omni cura praeuerti nequit.

p. 21. Sectio *ſecunda* exponit diuerſas celeberrimorum de ſcarlatina relationes, cum annexa modeſta epicriſi. Prima relatio celeberrimi eſt SYDENHAM, vbi Cl. Auctor recte monet, quod benignam tantum viderit, quum tamen Cl. MORTON, pariter Angliae medicus, et SYDENHAM coaeuus obſeruauerit malignam: licet non negandum ſit, MORTONUM, ſicut ex deſcriptione eius patet, ſcarlatinam confudiſſe cum morbillis, qui tamen ſpecie diuerſi ſunt morbi. Interim Cl. quondam SENNERTUS longe ante SYDENHAM de ſcarlatina maligna ſcripſit, cuius tamen SYDENHAM non meminit. Nunc Cll. GORTER, et DE HAEN de ſcarlatina opiniones adhuc refert. Quam vero ex Ephem. Natur. Curioſ. ann. 6 et 7. adducit purpuram epidemicam, a SIMONE SCHULZIO communicatam, vti nos quidem arbitramur, non ſcarlatina, ſed rubeolae ſpecies fuiſſe videtur: quia exanthemata

themata non maculae, sed purpurae seu papulae habuere formam. Figura enim exanthematum de- p. 33.
terminat speciem morbi. Quando porro ex IOANNE LANGIO adfert: quod scarlatina in Saxonia *der rothe Hund* vocetur; hoc quidem apud vulgum verum est: sed in ore delicatiorum et primorum dicitur, *das Scharlach - Fieber.* Optimi autem de scarlatina scriptores ex sententia Cl. Auctoris, sunt Cel. quondam DANIEL SENNERTUS, et Clar. DE NAVIER, academiae scientiarum Parisinae socius, qui idiomate gallico dissertationem epistolarem de diuersis morbis epidemicis 1753 edidit. Sed omisit Noster Cl. STORCH, *Pelargum* cognominatum, qui 1742 *Gothae* vernacula, germanica scilicet, lingua non contemnendum de scarlatina publicauit tractatum, *vom Scharlach - Fieber* inscriptum: vbi Cl. Auctor multa inueniet ad descriptionem, historiam et aethiologiam scarlatinae pertinentia.

Sectio *tertia* differit de diuisione et differentiis p. 53.
scarlatinae. Diuiditur, vti supra iam dictum est, in benignam et malignam. In maligna adest ingens prostratio virium et appetitus: febris et sitis magna, et q. s. r. Maligna etiam diutius durat, eamque sequitur plerumque periculosus ille status leucophlegmaticus, qui in benigna raro obseruatur. Nunc exhibet Cl. Auctor signa et notas, quibus scarlatina a petechiis, morbillis, purpura, vrticata, rosaliaque distinguitur.

Sectio *quarta* inquirit in causas scarlatinae. p. 59.
Adnotat hac occasione Cl. Auctor, quod scarlatina plerumque epidemice et circa aequinoctium vernale grassetur, in quo etiam Cl. SCHULZIUS et NAVIER conueniunt: quod infantes vt plurimum inuadat, licet Cl. Auctor aliquos triginta et vltro annos natos nouerit, qui scarlatina correpti fuere: quod morbus sit contagiosus, qui si semel in familiam

liam intrauerit, omnes adoriatur, qui hunc nondum perpeſſi ſunt, etſi longo locorum interuallo interdum diſſiti ſint; cuius ſingulare exemplum Comitum de *Curland* commemorat, quod explicatu difficillimum eſt, niſi commercio epiſtolarum forte hoc miaſma communicatum fuerit: tandem, quod cauſſa materialis ſcarlatinae tam benignae, quam malignae vna eademque ſit, minimeque ſpecie differat. Vidit enim cl. Auctor, benignam ſpeciem communicatione mutatam fuiſſe in malignam, et contra. Ex his praemiſſis ideis, ſecundum ſuum ſemel ſtabilitum ſyſtema, de contagio, Cl. Auctor concludit, cauſſam materialem ſcarlatinae conſiſtere in certis ſeminiis animatis multiplicabilibus. Quod vero ad cauſſas procatarcticas et occaſionales huius morbi attinet, a quibus praedicta ſeminia in actum deducantur, has quaerit partim in certis tempeſtatum mutationibus, partim in certis ventis, qui talia ſeminia aduehant: licet etiam admittat, quod cauſſa materialis contagii, et ſic quoque ſcarlatinae, aliquando in corpore lateat, diuque haereat iners, donec a certis cauſſis in actum deducatur, euoluatur, et multiplicetur, quod ſuperiori allato exemplo Comitum de *Curland* probat.

p. 76. Sectio *quinta* exponit ſymptomata et ſedem ſcarlatinae. Symptomata ſunt vehemens faucium tumor, rubor, ardor, vt aegri, nec deglutire, nec loqui, nec reſpirare valeant, vnde nauſea, vomitus, aut certe continuus niſus ad vomendum, tuſſicula, perquam difficilis reſpiratio. Sedes ſcarlatinae eſt in illis vaſis, quae membranam celluloſam perreptant, aut in eam terminantur: vnde etiam non tantum ille tumor, qui ſcarlatinam in initio ſtatim comitatur, ſed et ille, qui ſcarlatinam ſubſequitur. In his vaſis ſtagnant adeo humores, vt haec nimium tendantur, lacerenturque, vnde neceſſario tollitur cohaeſio epidermidis cum cute, qua

qua ſublata, decorticatio ſequi debet. Quum vero hac ratione peripheriae corporis vaſa, quae transſpirationi promouendae inſeruiunt, ſuo priuentur tegumento et ſuſtentaculo: non mirum eſt, ſi ipſa membrana celluloſa, ab irruentibus, maiore quantitate, in illam humoribus, tendatur, et in tumorem leucophlegmaticum eleuetur.

Sectio *ſexta* exhibet prognoſin ſcarlatinae. Benigna ſemper periculi expers eſt. Ab hac vero multum differt maligna. Gradus malignitatis cognoſcitur ex ſymptomatibus affligentibus. Si enim ſumma proſtratio virium adeſt, ingens in deglutione et reſpiratione difficultas, ſopor, delirium, pulſus paruus, celer, mors timenda eſt. In infantibus tamen minus eſt periculum, quam in adultioribus. Ceterum ad febris vehementiam et anxietatum durationem reſpiciendum eſt. Si, diſſipata iam ſcarlatina, aegri adhuc febricitant, ſignum eſt, multa metuenda adhuc ſupereſſe. Si contra ab omni febre immunes ſint, et tamen non appetant, languidique maneant, ſignum eſt, ſupra dictum tumorem leucophlegmaticum in propatulo eſſe. Si tumor hic cum febre coniunctus ſit, maius portendit periculum, quamſi ſit ſine febre. Si tumor hic pertinax ſit nullisque cedere velit remediis, metus eſt, illud acre ſerum rapi ad cerebrum, ex quo aegri conuulſi aut apoplectici pereunt. p. 82.

Sectio *ſeptima*, ſcarlatinae eiusque grauiorum ſymptomatum curationem proponit. Quum benigna ſcarlatina medico opus non habeat, ſufficit, vt tales aegri exacto regimine vtantur. Praeterea hoc vnicum tantum ab eis obſeruandum eſt, ne, euaneſcentibus ſymptomatibus, nimis cito aeri frigido ſe exponant, et periculoſum illum leucophlegmaticum ſibi contrahant tumorem. In maligna autem ſcarlatina, quae ex ſupra memoratis ſignis p. 89.

cogno-

cognoſcitur, ſtatim ſanguis ex pede ſufficienti quan-
p. 99. titate mittatur. Deinde, vt materies deriuetur, in vſum vocentur epiſpaſtica, veſicantia, enemata emollientia, ſaepius repetita: ad acrimoniam et tenacitatem humorum corrigendam diluentia, temperantia et antiphlogiſtica. Vt vero miaſma contagioſum ſepticum deſtruatur, cortex Peruuianus, quem tanquam antiſepticum vniuerſale conſiderat, nulla tamen alia conditione adhibendus, niſi prius inflammationi per miſſionem ſanguinis proſpectum ſit. Quando vero infantes hoc medicamento abhorreant, aut adulti illud ob faucium dolorem deglutire nequeant, tunc corticis extractum aut eius ſal ſubſtituatur, et ex cortice ſaturata iniiciantur
p. 108. enemata. Hac occaſione Cl. Auctor digreſſionem faciens, quaerit: num exanthemata in genere, ergo etiam in ſcarlatina prorumpentia, critica nominanda et aeſtimanda ſint? ſed negando reſpondet, quia aegri horum eruptione non perfecte iudicentur. *Adeoque ſignum*, inquit, *euidentiſſimum eſt, quod talia exanthemata nunquam ad criſin perfectam, raro ad imperfectam, melius vero ad acriſiam reduci debeant.* Ad demulcendum, vti in variolis commendat *hydrogalam*, eamque emulſis praefert: Si vero ſerum magis arrideret, *hoc hydrogalae* ſubſtitui iubet.

p. 114. Sectio *octaua* periodum ſeu ſtadium ſcarlatinae ſecundum, nimirum illum tumorem leucophlegmaticum, vna cum eiusdem curatione ſiſtit. Hic ſtatus maioris momenti eſt, quam ſcarlatina ipſa. Primum eſt, vt tumor iſte funeſtus omnibus viribus praecaueatur. Alterum, vt praeſens tumor tollatur, et inde pendentibus ſymptomatibus occurratur et proſpiciatur. Vt primum obtineatur, monet, vt tales aegri, ſuperata iam ſcarlatina, in debita maneant tranſpiratione, et liberum vitent

aerem:

aerem: ſuperficiem corporis ſaepius fricent, omneque id adhibeant, quod copioſiorem vrinae promoueat euacuationem. Vltimae huic intentioni infuſum baccarum Iuniperi prae aliis omnibus ſatisfecit.

Quando vero contingat, vt omnibus adhibitis cautelis, nihilominus tumor ille leucophlegmaticus ſuperueniat, tunc omnis nauanda eſt opera, vt humores ſeroſi, viſcidi attenuentur, per conuenientes vias euacuentur, et tandem partes ſolidae roborentur. Primam et ſecundam indicationem explere tendit Cl. Auctor per ſalia fixa, tam alcalina, quam neutra, et per alia aperitiua, vt ſcillam et millepedes. Quod ſi autem omnia haec remedia pertinaciſſimo huic malo imparia reperiantur: tunc Cl. Auctor commendat medicamentum ex mercurio dulci et auro fulminante paratum, quod ei bis praeſentaneam opem tulit. Monet tamen ab vſu huius remedii abſtinere, ſi notabilis febris adſit. Vt vltimae tandem indicationi ſatisfiat, laudat frictiones, et ex remediis tonica rhabarbarina, amaricantia, et infuſa vinoſa cum marte. Symptomata adhuc quaedam vrgentia reſtant, quibus ſuccurrendum eſt, Primum eſt ſopor, cui veſicantibus mederi ſtudet: et alterum ingens ſcroti tumor, hydrocele nominandus. Hunc ſuſtentaculo lenire et herbis aromaticis, aqua vel vino incoctis, et calide per modum fomenti ſcroto applicatis, diſcutere docet.

p. 118.

p. 129.

Sectio *nona* et vltima tradit particulares quasdam obſeruationes, et annexas annotationes. Sunt ſeptendecim aegrotorum, qui ſcarlatina laborarunt, hiſtoriae, ex quibus plurimi ex morbo conualuere, reliqui autem vi morbi enecati ſunt. Plurimis hiſtoriis annotationes adiecit, quae hiſtoriarum epicriſin continent.

p. 133.

Prope-

T. IV. Properamus ad tractatum *quartum* et vltimum, qui de *terrae motu* inſcribitur et in tres ſectiones di-
P. 7. uiſus eſt. Sectio *prima* ſuccinctam et compendioſam terrae motuum, praeſertim vero illius, qui 1. nouembr. 1755. magnam globi terraquei partem conuellebat, magis diſtinctam ſiſtit hiſtoriam. Multum probabile videtur Cl. Auctori, iam ante diluuium vniuerſale globum terraqueum terrae motibus agitatum fuiſſe, quia cauſſae, a quibus illum nunc deriuat, iam dum praeexſtiterint. Primus terrae motus, quem ſcriptores annotarunt, eſt ille, qui Graeciam anno mundi 3508 deuaſtauit. Reliquos ſecundum ordinem annorum, quibus euenerunt, enumerat, quorum vltimus, qui Luſitaniam Hiſpaniam et Galliam conquaſſauit, et a Cl. Auctore notatus eſt, ad annum 1761 pertinet. Ad illum, qui 1 nouembr. 1755. accidit, hoc vnicum annotamus, quod illud, quod de thermis Carolinis refert, huius ſcaturiginem nempe tunc temporis derepente euanuiſſe, et mox dein maiore impetu profluxiſſe, cum veritate non conueniat. Nulla enim mutatio ſcaturiginis 1. die nouembr. ibi obſeruata fuit. Communis quidem tunc fuit fama, quare eo magis obſtrictos nos credimus, ei contradicere.

Sectio *ſecunda* agit de terrae motu in genere eiusque cauſſis. Enumerat Cl. Auctor nonnullas ſententias et opiniones, quas alii de cauſſis terrae motuum habuere: et, dum has refutat, ſibi viam
P. 39. ad ſuam opinionem parat. Praeſupponit enim *primo* cryptas et cauitates ſubterraneas profundas, et inter ſe per certos canales communicantes; quia, niſi hoc concedatur, plurimae apparitiones concipi nequeunt: vbi tamen non negat, eiusmodi cauitates a priori, vt aiunt, demonſtrari quidem non poſſe, quia profundius vno milliari penetrari non liceat; a poſteriore tamen, ex effectibus nempe, tales

tales dari, euinci. Asserit *secundo*, quod, suppositis his cauernis, assumi debeant quoque diuersa subterranea receptacula, quorum alia aquam, alia aerem, alia ignem contineant, quae ideo *hydrophylacia*, *aerophylacia* et *pyrophylacia* nominat. De hydrophylaciis et aerophylaciis nemo fortasse dubitat, sed de pyrophylaciis quaedam difficultas oriri posset, an talia dentur? Sed bene monet Cl. Auctor, quod per haec non intelligat ignes centrales, sed calorem tantum subterraneum, qui gradu differat; prout scilicet in aliquibus plus, in aliis minus de materia sulphurea, bituminosa, martiali, sub pyritarum forma, reperiatur. Quod autem pyritae ex praedicta materia compositi, et aqua accedente humectati, incipiant calore aestuare et vapores sulphureos spargere, ex notis experientiis constat: qua de caussa, ad Cl. BOERHAAVE experimenta prouocat, et ortum aquarum calidarum inde deriuat. Spiritus hic apparentes, secundum Cl. Auctoris opinionem, nil aliud sunt, quam modo dicti vapores, a fermentescentibus pyritis orti, et a calore volatiles redditi, ideoque a quibusdam spiritus dicti. Differunt autem pro diuersa quantitate admixtae materiae sulphureae, bituminosae, vel ferreae. Quodsi enim sulphur abundat, facile eorum incendium inde concipi potest. Idem accidere in montibus igniuomis, Cl. Auctori valde probabile est. Quoniam vero non solum sulphur in illis cauitatibus subterraneis, sed etiam aer et aqua contineatur, vt is a calore rarefiat, haec autem quaquauersum pellatur, necesse est. Ab hac mutatione interna, et facta inde agitatione, terrae motum deriuat. Quum enim modo dictae cryptae subterraneae, secundum Cl. Auctoris sententiam, ad multa milliaria se extendant, et inter se communicent, non mirum est, si huius incendii et conquassationis effectus, ad magnam p. 48.

diſtantiam propagetur, et in immenſum augeatur, praeſertim, quando accenſi vapores, nullum inuenire
p. 54. poſſunt exitum. Conſtans enim fuit obſeruatio, animaduerti vtplurimum magnos terrae motus, dum montes igniuomi ſilent, ſecus, dum ardent. Vnicum ſupereſt dubium, quod nonnulli eruditi mouerunt, flammam ſcilicet in occluſis cauitatibus ſubſiſtere non poſſe. Hoc ita remouere molitur, vt probet, per ſublatum aeris aequilibrium, oriri in cryptis agitationes et ventilationes, hisque flammam conſeruari.

p. 66. Hae ſunt cauſſae generales terrae motuum, nunc tranſit ad praediſponentes, ſeu occaſionales, quas ſolum in tempeſtatibus, quae praeceſſerant, quaerit Cl. Auctor, et qua ratione pro ſua parte ad terrae motum 1755. aliquid contulerunt, exponere contendit.

p. 81. In ſectione *tertia* et vltima Cl. Auctor diſſerit de praecipuis, terrae motus, phaenomenis; item de fontium, conchyliorum, aeſtuum, ventorum, et aliorum, quae ex eius ſequuntur theoria, origine, cauſſis, et effectibus. Plurima phaenomena, quae terrae motum plerumque comitantur, ſuo ſyſtemati accommodare, et ex eo explicare ſtudet, ideo illos
p. 64. refutat, qui motum lunae in nexum trahere et irregulares aeſtus maris, inde deducere autumant. Sufficere enim, ad producendos eiusmodi aeſtus arbitratur, atmoſphaeram, illo tempore, illoque loco, vbi terrae motus fuit, laeuiorem factam. Mercurius enim in barometro profundiſſimum tunc ſolet occupare locum. Vehementiſſimi quoque oriuntur venti, copioſiſſimaeque pluuiae: quaeque omnia, quia aequilibrium tollunt, vt magnam mutationem in globi terraquei ſuperficie efficiant, neceſſe eſt. Hae mutationes autem interdum vltra ſuperficialia hydrophylacia non penetrant, et partiales tantum terrae

terrae motus producunt. Minime tamen eam ob cauſſam, originem fontium et fluminum, ex pluuiis et niuibus cadentibus, deriuandum eſſe putat, ſed illum in mari ponit, omnesque fontium ac fluminum aquas cum mari aequilibrare contendit. Cauſſam vero aſcenſus aquae, partim in calore ſubterraneo, partim in maiore grauitate aquae marinae, qua aquas fontanas in altum premi credit, quaerit.

Quando autem Cl. Auctor in ea fuit opinione, p. 116.
magnam illam abyſſum in diluuio vniuerſali, aquas ſufficientes ſuppeditaſſe, ad operiendos altiſſimos montes, quos tredecim cubitis tranſcenderunt, non perpendit, ſpatium illud ſphaericum, quod aquae tempore diluuii occupabant, multo maius eſſe ſpatio abyſſi, licet haec abyſſus totum quoque globum terraqueum aequaret, quod ex principiis mathematicis demonſtrari poteſt. Si ſpatium igitur abyſſi minus eſt, nec aquae ſufficere potuerunt ad praedictum diluuium.

Quod morbos tandem attinet, qui plerumque p. 125.
vehementes terrae motus ſequuntur, recte eos ex terrore et moerore deducit, quo homines, tempore terrae motus, neceſſario afficiuntur.

XXI.

IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERS, *Doct. der Gottesgel. u. ſ. w. Zweifel und Schwürigkeiten, welche in der Inſectenlehre annoch vorwalten. Regenſpurg verlegts Joh. Leop. Montag* 1766. 4. pl. 5. tab. aen. color. diſtinct. 1.

i. e.

IACOB CHRIST. SCHAEFFER de dubiis et difficultatibus, quibus adhuc impedita eſt entomologia.

Hic libellus, cum velut introductionis et praefaminis loco praemiſſus fuerit a Cl. Auctore, maiori ipſius operi, de quo mox ſumus dicturi, elementis ſcilicet entomologicis; de hoc primum atque de vniuerſo Auctoris inſtituto, paucis ad Lectores referre, noſtrum iudicauimus. Cl. SCHAEFFERUS in accuratiore inſectorum conſideratione, per vndecim annos occupatus, ſpecies ipſi obuias factas, ad characteres generum, quae conſtituerunt celeberrimi viri, LINNAEUS et GEOFFROY, atque ad ſyſtemata horum clariſſimorum virorum examinauit. Tandem potentiſſimi regio Daniae liberalitate ſuffultus, conſilium cepit edendi figuras inſectorum Ratisbonenſium, praemiſſis elementis entomologicis. In quo labore cum occurrerent ipſi, non modo in ſpecierum determinatione, ſed in ſyſtemate etiam condendo, difficultates plures, dubitationesque naſcerentur haud paucae; hoc libello ex inſtituto quasdam earum palam proponere decreuit, eo conſilio, vt ab aliis, quorum ſtudium in eadem inſectorum natura cognoſcenda verſatur, certiora edoceantur, atque iſto modo maius illud, in quo edendo tunc temporis laborabat opus, ad maiorem perfectionis gradum poſſit adducere. Nos igitur

igitur, omiſſis iis, quae de nomine entomologiae et inſectologiae, deque ſyſtematis, omni ex parte perfecti, difficultate habet, atque aliis eiusmodi diſputationibus, ſequentes obſeruationes, ſpeciminis loco, annotare voluimus.

Neuropterorum et *hymenopterorum* claſſem con p. 12.
iungit Cl. SCHAEFFERUS, et *gymnoptera* vocat; cauſſam commemorat hanc, quod in *hymenopterorum* maribus aculeus deficiat, nec pateat, cur varia inſecta non eodem modo ad *neuroptera*, quam ad *hymenoptera* referri poſſint. Eadem ratione terminus *hemipterorum* Noſtro non arridet, cum v. c. in cimicum genere, alarum ſuperiorum ſtructura, quae ſemicoriaceae eſſe debeant, inſigniter differat, quapropter *hemipterorum* claſſem potius *coleoptero - hymenoptera* vocare vult. Pari modo *coleopterorum* di- p. 14.
uiſionem, a Cl. GEOFFROY traditam, ob cauſſas, in ipſo libello enarratas, ita mutat, vt methodus tandem, quam Cl. SCHAEFFERUS ſequitur, hac ratione comparata ſit:

Claſſem primam conſtituunt inſecta alata, alis p. 16.
quatuor, ſuperioribus cruſtaceis per totam longitudinem elytris abdomine dimidio longioribus, quae *coleoptero - macroptera* Noſtro audiunt. Claſſis ſecundae inſecta, elytra abdomine dimidio breuiora habent et *coleoptero-microptera* dicuntur. Tertia claſſis *coleoptero-hymenopterorum* ſ. *hemipterorum* eſt, quae elytris, apice membranaceis, inſtruuntur. Quarta claſſis *hymeno - lepidoptera*, alis quatuor membranaceis puluere ſquamoſo tectis, quinta vero *hymenogymnoptera*, alis quatuor membranaceis nudis continet. Sexta claſſis *dipterorum*, et ſeptima tandem *apterorum* eſt. Ordinum autem differentiae, ex numero articulorum tarſi, ſumtae ſunt. Appendicis loco viginti duo inſecta, ſecundum varias eorum partes delineata ſunt, quae cum eſſent dubii generis, a Cl.

Auctore ad genera, a LINNAEO, GEOFFROY, aliisque entomologis condita, commode referri haud potuerunt.

XXII.

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER, S. Theol. Doct. cet. Elementa entomologica. Ratisbonae typis Weiſſianis 1766. 4to. pl. 22. tabulae aeneae coloribus diſtinctae 135.

IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER *Einleitung in die Inſectenkenntnis.*

Prima huius operis, potentiſſimo Daniae regi, FRIDERICO QUINTO, dicata pars, exponit de inſectorum ſtructura et facie externa. Initio igitur traditur definitio inſecti, corporis figura et partes externae, et diuerſa vocabula ſcientiae entomologicae, cui rei in vniuerſum XII. tabulae aeneae dicatae ſunt, quarum auxilio factum eſt, vt, quae in textu huius libri, qui tabularum explicationis titulum gerit, tradita ſunt, a tironibus facillime, ope figurarum, in tabulis aeneis contentarum, cognoſci poſſint. Claſſium, a Cl. Auctore aſſumtarum, differentiae et characteres, ſecundum methodum, ab eo in libello, de quo iam retulimus, propoſitam, tabula vnica explicantur, quae ſecundam ſectionem conſtituit. Tertia tandem ſectio, quae ampliſſima eſt, generum characteres illuſtrat, quae alphabetico ordine delineantur, vt characteres cuiuslibet generis facillime oculis pateant, et cum minores etiam partes microſcopii ope delineatae ſint, methodica inſectorum cognitio, eo ipſo inſigniter adiuuetur. Pertinent vero ex his ad primae claſſis, ſiue *coleopteromacropterorum* ordinem primum, qui tarſorum articulis

T. I-XII.

T. XIII.

T. XIV-CXXXII.

culis quinque instructus est *Dyticus*, *Carabus*, *Cicindela*, *Telephorus* (Cantharis LINN.) *Lampyris*, *Bruchus*, *Gyrinus*, *Anthrenus*, *Dermestes*, *Peltis*, *Silpha*, *Cistela*, *Hydrophilus*, *Scarabaeus*, *Copris*, *Attelabus*, *Elater*, *Buprestis* et *Plutyceros*. Ad secundum ordinem, tarsorum articulis prioribus quinque, posterioribus quatuor, *Cantharis*, *Tenebrio*, *Cerocoma*, *Diaperis*, *Mordella*, *Pyrrhochora*. Articulis tarsorum quatuor instruuntur, *Stenocorus*, *Cerambyx*, *Leptura*, *Luperus*, *Cryptocephalus*, *Crioceris*, *Altica*, *Cassida*, *Chrysomela*, *Mylabris*, *Scolytus*, *Rhinomacer*, *Bostrichus*, *Anthribus*, *Clerus*, *Curculio*, *Prionus*, *Melolontha*. Tres vero tarsorum articulos *Coccinella* habet. Secunda classis, seu *coleopteromicropterorum* continet *Staphylinum*, *Meloen*, *Necydalim*, et *Forficulam*. *Coleoptero hymenoptera*, quae tertiam classem constituunt, sunt *Cimex*, *Notonecta*, *Naucoris Hepa* et *Corixa*. Classis quarta *hymenolepidopterorum* continet *Pterophoros* (Phalaenas Alucitas LINN.) et reliqua tria genera lepidopterorum, quae LINNAEUS habet. Quinta classis est *hymenogymnopterorum*, cuius ordo primus, tarsorum articulos quinque habet, ad quem referuntur *Mantis*, *Hemerobius*, *Phryganea*, *Ephemera*, *Panorpa*, *Vroceros*, *Tenthredo*, *Ichneumon*, *Formica*, *Cynips*, *Vespa*, *Sphex*, *Chrysis*, *Apis*, *Formicaleo*, *Crabro*, *Libelloides* (Myrmeleon barbarum LINN.) Ordo secundus *Blattam* continet, quae tarsorum articulis, priorum quinque, posteriorum quatuor, instruitur. Ordo tertius, ad quem *Locusta* et *Raphidia* referuntur tarsorum articulis quatuor, quartus vero tribus est, ad quem *Gryllus*, *Acridium*, *Libellula*, *Perla*, *Cicada*, *Tettigonia* pertinent. *Thrips* vero et *Aphis* quintum et sextum constituunt. Classis sexta *dipterorum* sequentia habet genera. *Hippoboscа*, *Oestrus*, *Asilus*, *Stratiomys*, *Nemotelus*, *Empis*, *Bombylius*, *Tabanus*, *Scatopse*,

(antennis filiformibus, roſtro breui, cylindraceo, labiato; ocellis tribus, alis abdomine longioribus, *Culex*, *Tipula*, *Bibio*, *Muſca*, *Stomoxis*, *Stomoxoides* (Conops LINN.) *Voluccella*, *Coccus* et *Chermes*. Claſſis tandem ſeptima, a diuiſione *apterorum*, quam LINNAEUS et GEOFFROY aſſumſerunt, vix differt. Araneae genus Cl. Auctor, ſecundum oculorum ſitum in quinque familias: Cimices ſecundum articulorum in antennis numerum, Papiliones ſecundum pedum numerum et ſitum, figuramque alarum, Tenthredines ſecundum antennarum figuram diuidit, vt alia taceam. Sectio tandem quarta, de inſtrumentis et ratione, inſecta commode capiendi, tractandi et adſeruandi, exponit, vbi miramur, etiam vmbellas, lagenulas et alias res, omnibus notas, pictas fuiſſe. Fundos ciſtularum, in quibus inſecta aſſeruantur, Auctor oblinire iubet liquore chemico, ex eſſentia aſſae foetidae, ſpiritu terebinthinae, ana vnciis duabus et oleo tabaci ac tartari foetido, ana guttis decem, parato. In vniuerſum vero Auctor Cl. in hoc libro nominibus latinis, a GEOFFROY et LINNAEO mutuatis, quantum quidem fieri potuit, vſus eſt, germanica vero, magna ex parte, ipſe excogitauit.

Tab. CXXXIII-CXXXV.

XXIII.

P. S. PALLAS, Med. Doct. Acad. Caes. et Soc. Reg. Angl. Sodal. Elenchus zoophytorum sistens generum adumbrationes generaliores, et specierum cognitarum succinctas descriptiones, cum selectis auctorum synonymis. Hagae Comitum. 1766. et prostat Francof. ad Moenum apud Fr. Varrentrapp. 8. 1 Alph. pl. 7.

Cl. PALLAS, cuius dissertationem inauguralem alio loco indicauimus, * egregiam, qua pollet animalium omnis generis cognitionem, ab eo tempore pluribus scriptis ita declarauit, vt omnino iure meritoque inter praeclarissimos huius aeui zoologos celebrandus sit. Ex his primus est, qui nunc ante oculos versatur de zoophytis liber. Cum enim in Belgio per aliquot annos commoratus, non solum optimam haberet occasionem, maris littora frequenter adeundi, marinaque corpora recentia et viua examinandi, sed et egregia, quae in his terris reperiuntur musea inter quae principis Auriaci praecipuum est, accuratius perlustraret; ad zoophytorum tandem historiam, quae nullibi magis, quam in his ipsis, mari vicinis locis, excoli potest, animum ita adplicauit, vt tandem egregio hoc opere vniuersam zoophytorum familiam, systematico ordine dispositam, comprehenderet. Paucitate enim et defectu iconum permotus, iconographicum de zoophytis opus, per fasciculos edere, apud animum constituit, cuius initium cum isidis genere, tabulis, ad viuum coloratis, facere et hoc elencho, prodromum quasi maioris huius operis sistere voluit. *Zoophytorum* vero nomi-

* vid. Comment. Supplem. IV. p. 695.

ne *lithophytorum* et *zoophytorum* ordinem Linnaeani ſyſtematis coniunxit, autumans nimis illa affinia eſſe, et *lithophyta* aeque pro plantis, neruoſo ſyſtemate animatis habenda eſſe, iisque, vti nunc a LINNAEO quoque factum eſt, *ſpongias* adſociauit. *Corallinas* autem, quas vegetabilis naturae eſſe putat, vna cum *taenia* et *voluoce*, quas pariter huc non pertinere contendit, adpendicis loco addidit.

Eo magis autem Cl. Auctoris conſilium, diu neglectum, zoophytorum ordinem, recentiorum induſtria demum illuſtratum, methodica diſpoſitione enumerandi, probandum laudandumque iudicamus, quo magis ille ordo, naturae ſcrutatorum induſtria dignus eſt et vniuerſo ſyſtemati naturae, rectius perſpiciendo egregie inſeruit. In iis enim vegetabilem naturam cum animali miſceri, progreſſumque a natura vegetabili ad animalem, fabricae organicae modos ſimpliciſſimos, principiique animalis gradationes et modificationes varias optime cognoſci, neminem fere noſtris temporibus fugere arbitramur. Atque
p. 1. hoc magis declaratur, egregia diſſertatione de *zoophytorum intermedia natura et inuentione*, quam Cl. PALLAS praemiſit. In hac primum docet, vulgarem diuiſionem corporum naturalium in tria naturae regna, arbitrariam et imaginariam eſſe. Putat enim, naturam *bruta inertiaque* corpora ab *organicis* et *viuis* ſeparaſſe, quorum quidem brutorum corporum familiae, vti inter ſe arctiſſimo affinitatis vinculo cohaerent, ita a quorumlibet brutorum corporum indole longiſſime recedunt. Ipſa vero *organica corpora*, natura non iterum in duo regna, *vegetabile* ſcilicet et *animale*, diuiſit, ſed vegetabilia, tanquam vltimam claſſem corporum organiſatorum conſtituit, quae, licet ab animalibus primo intuitu longiſſime diuerſa videantur, tamen cum iis per *zoophytorum* ordinem coniunguntur, quod magis declaratur praemiſſa

praemissa ab Auctore adumbratione, et physiologica consideratione *animalis* et *plantae*, quae corpora inter se comparat, analogiamque illorum fusius explicat. Iam quod historiam doctrinae de *zoophytis* attinet, notum est, veteres de earum natura nil certi statuisse, multosque eorum corallia, similiaque corpora ad lapideum, magnamque reliquorum partem, ad vegetabile regnum retulisse. Atque hoc magis factum est recentioribus temporibus, quibus vulgo *corallinae* et *sertulariae* muscis, *alcyonia*, *escharae* et *pennatulae* fucis adnumerabantur, ipsaque corallia posteaquam MARSIGLI eorum animalcula detexerat, et tanquam veros eorum flores descripserat, ad vegetabilia pertinere, vulgo statuebatur. Tamen nonnullos his ipsis temporibus veram naturam zoophytorum hariolatos esse, tum ex chemico eorum examine, quo eorum principia, animalium principiis similia esse, deprehenderunt, tum ex variis RUMPHII, IMPERATI, BOCCONE et LHUIDII locis patet. Primus tamen PEYSSONELLUS, circa annum 1727 in madreporis, milleporis etc. animalia vidit, illaque corpora testas horum animalium esse asseruit. Plus vero decennio, hoc inuentum latuit, donec REAUMURIUS, polyporum inuentione a TREMBLEYO, circa annum 1739 facta, permotus, PEYSSONELLII sententiam, de cuius veritate ipse dubitauerat, iterum resuscitaret, quae demum a IUSSIAEO, LOEFLINGIO aliisque magis confirmata, et ELLISII laboribus inprimis ratione sertulariarum et similium corporum magis aucta fuit. Duplicem vero de zoophytorum vera natura, etiam, posteaquam animalibus illa adnumeranda esse, detectum fuit, sententiam Auctores fouent. Plurimi enim, inter quos PEYSSONELLUS, REAUMURIUS, DONATI et ELLISIUS sunt, statuunt, esse *aggregatum testarum ad animalcula, e medusarum polyporumue genere*

p. 13.

p. 18.

genere, pertinentium, imo *fabricam aggregatorum et ſocialium horum animalculorum.* Altera vero, quam Noſter quoque cum LINNAEO, BASTERO etc. aſſumit, eſt: *Zoophyta eſſe animalia, vere vegetantia, in plantae formam excreſcentia; plantarumque alias quoque proprietates, affectantia; eſſe quaſi plantas animatas*, atque *non ex coagmentatis cellulis plurium animalium fieri, ſed, quae in muſeis ſeruantur reliquiae, veras eſſe exuuias et ſceleta Zoophytorum.* Totum vero Zoophytorum ordinem, in multis, cum plantis analogiam quandam habere et affinitatis huius gradus varios exiſtere, pluribus hic a Noſtro demonſtratur, qua occaſione quoque, de vniuerſali illa, omnium corporum naturalium, analogia inter ſe diſſerit, docetque naturam quidem nunquam ſaltum facere, ſed ſpecies in genera, haec in ordines, ordinesque in claſſes, claſſes vero inter ſe, arctiſſimo affinitatis vinculo, contexuiſſe; attamen *ſcalam* naturae qualem BRADLEIVS et BONNETVS propoſuerunt, nunquam reperiri. Naturae enim opera, non in ſcalam et ſeriem continuata eſſe, ſed in *rete* cohaerere, cum DONATI aſſumit, aut potius corporum organicorum ſyſtema comparandum eſſe cum arbore, quae a radice ſtatim duplicem trùncum, *animalem* et *vegetabilem*, emittat. Horum priorem per *molluſca* ad *piſces*, emiſſoque laterali *inſectorum* ramo, ad *amphibia*, tandemque alio laterali, *auium* ramo exſerto, ad quadrupedia pergere.

p. 21.

In ipſo vero hoc elencho, ea ratione Cl. Auctor verſatur, vt primo genericam definitionem praemittat, generalioremque cuiusuis generis ideam et inventionis hiſtoriam proponat, tum ſpecies enarret, quibus omnibus, triuiale aliquod nomen quoque dedit: addat deinde ſynonyma, multo ſtudio collecta, et vberiorem deſcriptionem, cum loco natali: tandemque

demque varias adnotationes ſubiungat. Species, quas ipſe non vidit, aſteriſco notauit.

Primum zoophytorum genus, *hydra* LINNAEI p. 25. eſt, ſiue *polypus* REAUMURII, a TREMBLEYO primum accuratius deſcriptus. *Animal eſt vegetans, vagum. Stirps ſimplex, nuda, medulloſa, mollis contractilis; linearis, cirrhis ſetaceis coronata; gemmaſcens prolibus lateralibus deciduis.* Horum animalium ſubſtantiam vndique alimenti bibulam eſſe, et ab alimento recepto demum cauari, Noſter probat, qui etiam aliquoties obſeruauit, polypos autumno oua generare, polypi compendium, per hyemem duraturum, continentia. Ad hydram ſimpliciſſimam quoque animal a ROESELIO deſcriptum, quod LINNAEUS *Chaos proteus* dicit, quodammodo accedit. *Brachionos* vero, quos LINNAEUS ad hydras retulerat, Cl. PALLAS ſeparauit. Secundum noſtri genus *Eſ-* p. 33. *chara* eſt, qua LINNAEUS *Fluſtram* dicit. *Animal eſt, vegetans adnatum: ſtirps membranacea, ſublapideſcens, ex ſeriebus multifidis, diuergentibus. cellularum coalita, margine gemmis creſcens. Cellulae ringentes, exſerentes polypum, fundo adnatum, cirrhis coronatum, hydrae ſimilem. Lapis* ſic dictus, *ſpongiae officinarum*, a Noſtro ad *eſcharas* refertur et *ſpongites* dicitur, LINNAEO vero *cellepora* eſt. Tertium ge- p. 58. nus *cellularia*, etiam *animal vegetans, plantae habitu eſt. Stirps nuda e cellulis ſeriatis componitur, ramoſa ſaepeque articulata, plerumque lapideſcens, tubulis radicata.* Floſculi viui e poro ſingulae cellulae progrediuntur, ouaria vero incerta ſunt. Comprehendit hoc genus *corallinas celliferas* ELLISII, ſiue *ſertularias, ouariis non diſtinctis, ſed intra articulos latitantes* LINNAEI. Corpuſcula in *cellularia neritiua*, quae ELLISIUS pro paruis neritis habuit, bullulas eſſe Noſter docet, corpuſculis, caput auiculae referentibus, quae in *cellularia auicularia* reperiuntur analogas.

Tubularia

p. 79. *Tubularia*, quae quartum genus ſiſtit, eſt *animal vegetans, radicatum: ſtirps tubuloſa cornea, ſimpliciſſima, vel ramoſa, imo affixa, apice exſerit animal capite tentaculis criſtato, ouula generans.* Serpulis tubulariae valde analogae ſunt, ſed habitum vegetabilem habent. Ad tubularias Noſter quoque refert *hydram campanulatam*, LINN. Syſt. Ed. X. ſiue *Polypum criſtatum*, (*polype à panache* TREMBLEII et *polypum pennaceo-criſtatum* (*Federbuſchpolypen*) ROESELII.

p. 89. Quintum genus *Brachioni* comprehendit animalia, quae *Pſeudopolypos* ROESELIUS dixerat, LINNAEUS vero olim ad *hydras* retulerat. *Animal minutiſſimum eſt, interdum ſimplex, vagum, ſaepius compoſitum, vegetans, pedunculatum, coronatum limbo contractili, ſubreniformi, vndulante, ſaepe ciliato.* Huc Noſter refert, *polypum floralem aquarum dulcium*, SCHAEFFERI, (*Sabellam ringentem* LINN. Ed. XII): *Animalcula rotatoria* BAKERI: *Sertulariam polypinam* LINN. Syſt. Ed. X. et *Iſidem anaſtaticam* eiusd.

p. 106. edit. Sextum genus *ſertularia* LINNAEI eſt. *Animal eſt vegetans, plantae habitu. Stirps tubuloſa, cornea, calyculis obſita, emittentibus medullae animalis continuos floſculos, polypiformes. Ouaria, veſiculae ſingulares, polypos maiores germiniferos continentes.* Sceleton quaſi animalis ſunt, cum intra corneas vaginas, partes molles contineantur. Medulla ſcilicet per totam ſtirpem continua, euidenter viua, per calycu-

p. 158. los, capitula hydris analoga, exſerit. Ex his *ſertularia fruticans* et *ſertularia gorgonia* rariſſimae ſpecies, quae vltima noua eſt, *gorgoniae* et *ſertulariae* genera con-

p. 160. iungunt. *Gorgoniae* genus continet *lithophyta, lithoxyla, ceratophyta* Auctorum omnia, quae corneae naturae ſunt et corticali lamella propria obducuntur. BOERHAVIUS eas *titanoceratophyta* dixit, et a *ceratophytis* diſtinxit. quo nomine *gorgonias*, caſu cortice orbatas, et *antipathis* ſpecies naturaliter nudas

das insigniuit. Multa hic notatu digna de gorgoniarum structura, cortice, qui euidenter organicae structurae est, et modo crescendi Noster profert. Pleraeque earum in mari ita crescunt, vt stirps et rami sursum versus aëra, tendant. In vniuersum autem gorgonia *animal est vegetans: stirps cornea, striata, attenuata, basi explanata, cortice obducta calcareo, molliore, cellulosо atque porosо, polypis flosculiformibus efflorescente.* Verum corallium nigrum ad gorgonias pertinet (est *gorgonias Antipathes* LINN. Ed. X.) et ex indico oceano affetur. *Saualia* enim maris mediteranei, quae cum corallio nigro vulgo confunditur, truncus tantum est magnorum speciminum *gorgoniae ventalinae* LINN. detritis ramis politus. Octauum genus, quod *Antipathes* dicitur, continet varias species, quas hucusque Auctores ad gorgonias retulerant. Licet vero in pluribus cum gorgoniae genere conueniat, differt tamen non solum ligni hispiditate, sed et cortice, qui non calcareus est, sed gelatinosus, quo specimina, in museis afferuata vtplurimum carent. Est itaque Antipathes *animal vegetans: stirps cornea, extus scabra, attenuata; basi explanata; obducta cortice gelatinoso, floreſcente polypis tentaculatis. Ouaria, calyces corneae stirpi insidentes, subturbinati* sunt. *Isidis* genus continet ea corpora, quae *corallodendra* vulgo dicuntur. *Corallium* scilicet *rubrum*, (*Isis dichotoma* LINN.) *Corallium roseum* s. *ocraceum*, et *Hippuridem saxeam.* Definitionem vero huius generis sequentem Auctor Cl. tradit: *Isis est animal vegetans, plantae forma: Stirps (corallium) lapidosa, vasculis longitudinalibus porosa, saepe articulata; obducta cortice molliori, sparso, verrucis calycularibus ouiparis; efflorescentibus in polypos floriformes, tentaculis coronatos, retractiles.* In vniuersum isides maximam affinitatem cum gorgoniis habent, et sola natura substantiae interioris

p. 205.

p. 220.

ris quae ſaxoſa eſt, ab iis differunt. Corticis ſubſtantia vaſculoſa et poroſa eſt, in qua cellulae ſunt, quae externis papillis reſpondent, ex quorum oſculis floſculi animales exſeruntur. Corallium ſemper ramis ſuis, verſus centrum terrae tendere, MARSIGLI eſt obſeruatio. Contrarium vero probant fruticuli corallini, in teſtis lapillisque, in fundo maris proiectis, creſcentes, qui tantum erecti creſcere potuerunt, vt itaque conſtet, corallium in omnemcunque directionem, ad planum, in quo fixum eſt vtrumque inclinatum, perpendicularem vegetare. Cum MARSIGLIUS vero putet, lacteum colorem nunquam coralliis naturalem eſſe, ſed arte demum produci, monet Noſter, ſe in muſeo Britannico obſeruaſſe eiusmodi ramos, albi carneique coloris, quos tamen na-
p. 238. turales eſſe, non affirmare audet. Genus decimum *millepora* eſt. *Animal* ſcilicet *vegetans; corallium ſolidiuſculum, ramoſum, poris cylindraceis, in axin perpendicularibus, exſerens polypos teretes tubaeformes.* Ab *eſcharis* fabrica magis continua, ſubſtantiaque non ex cellulis coadunatis facta, ſed poris tantum cylindricis, directione in corallii axin perpendiculari, diſtinguitur. Cum tamen in reliquis, magna ſit milleporae cum eſchara et iſide affinitas, et madreporae quoque cum alcyoniis, quoad internam ſtructuram ſatis conueniant, Cl. PALLAS lithophytorum ordinem non, vti a LINNAEO factum eſt, a zoophytorum ordine ſeparare voluit. In *millepora calcarea* (ſ. *corallio albo* officinarum Londinenſium) nullos poros Noſter reperire potuit, putat tamen, illam, dum in mari viget, animali perioſteo obduci, licet in ſpeciminibus, quae in littore Cornubienſi tanta in copia reperiantur, vt iis accolae ad agros pinguefaciendos vtantur, quae vero ex Noſtri mente ex Americano oceano ventorum vi afferuntur,
p. 268. nil eiusmodi appareat. Atque hac occaſione Cl.

Auctor

Auctor famoſum illud in Belgio *incruſtatum Rakanienſe* deſcribit, quod in lacu quodam in peninſula *Voornana* ad pagum *Rakanie* ſito, ſubſalſo, qui olim cum mari communicauit, reperitur. Area ibi eſt tota maſſis cauernoſis irregularibus, variae magnitudinis ſabuloſo fundo incumbentibus, conſtrata. Aliis in locis maſſa haec caricis culmos obducens, iis deletis, cylindros intus cauos efformat. Hanc vero maſſam non vti nonnulli voluerunt * concretum tophaceum, ſed coralliorum analogae indolis eſſe, multis argumentis et ipſo chemico examine probat, monetque ſimile incruſtatum DIOSCORIDE *adarces* nomine deſcribi. Vndecimum genus *Madrepora* eſt *animal modo ſimplex, modo vegetans: coralliorum ſaepius plantaeforme, celluloſum vel in apice vel ſuperficie terminatum ſtellis lamelloſo-ſtriatis, polypiferis.* Madreporarum aliae ſimpliciſſimae ſunt, aliae concatenatae aut conglomeratae, aliae aggregatae, vel dichotomae, vel vegetantes vel tandem anomalae; vt itaque omnino et indole et habitu longiſſime inter ſe differant. *Tubipora* ex Noſtri definitione eſt *animal compoſitum anomalum; corallium e tubulis parallelis diſtinctis compoſitum; tubuli articulati ſiphunculo continuo ad orificium ſtellato communicantes.* Vnica huius generis ſpecies hucusque detecta eſt, animalculorumque natura penitus latet, ad zoophyta tamen pertinere veroſimile eſt. Ex nauarchorum relatione Noſter didicit, ſcatere eam in mari vermibus longiuſculis, qui tubulis ſuis toti exeant, et cum hoſtile aliquid percipiant, celerrime in receptaculum quisque ſuum redeant. Hinc ſuſpicatur, animalcula forte in extremis tantum tubulorum articulis habitare, largo vero neruo affigi, qui eos tubulis

p. 274.

p. 337

* vid. Act. Soc. Harlem. Part. oct. P. II. p. 19. vbi eius quoque figurae exſtant.

p. 342. tubulis exire permittat. Genus decimum tertium *Alcyonii* eſt. *Animal* eſt *vegetans: ſtirps fixa, continua, cartilaginea, intus poroſa; cortice duriore, obſito oſculis ſubſtellatis, papillaribus, exſerentibus polypos tentaculis ciliatis radiatos, ouiparos.*. In his vita ſenſitiua iam torpet, illaque indole creſcendique modo, ad imperfectiora vegetabilia accedunt. Superſtes tamen aliqua ſenſibilitas, polyporum apparatus et chemicum examen illa ad zoophyta adhuc
p. 362. referenda eſſe probant. Sequitur *pennatulae* genus. Ea eſt *animal vegetans: ſtirps vaga, coriacea, oſſiculo plerumque ſuffulta, multiformis, ex parte exſerens polypos retractiles, tentaculis radiatos, ſaepius calyculatos, intus ouiparos.* Hae pennatulae a reliquis zoophytis in eo differunt, quod non loco cuidam affixae ſint, ſed liberae per mare vagentur, ſtipitem, muſculoſo corio veſtitum, habeant, cuius ope muſcularem motum exercent et in mari ſe promouent, aut maris fundo molli inſertae viuunt. Rhachis vero, quae altera pars pennatularum eſt parenchymatoſa et immobilior eſt, in qua polyporum quoque apparatus, qui iis pro ore ſunt, deprehenditur. Vix non omnes intus oſſiculum aliquod habent. Ad pennatulas vero Noſter *Iſidem*
p. 375. quoque, *encrinum* LINNAEI refert. Vltimum tandem zoophytorum genus *ſpongia* eſt. *Animal ambiguum, creſcens, torpidiſſimum eſt; ſtirps polymorpha, e fibris contexta, gelatina viua obueſtitis. Oſcula oſcillantia, ſeu cauernae cellulaeue ſuperficiei.* In his ſenſitiuam quandam vitam iam veterum nonnulli agnouerunt, quam recentiones confirmarunt. Credidit quidem PEYSSONELLUS, ſpongias a vermibus, in iis habitantibus, fabricari, alii tamen docuerunt, hos ad ſpongias non pertinere, ſed ſpongiarum latebras tantum intrare. Recentiſſimis tandem temporibus obſeruationes ab ELLISIO et SOLANDRO

DRO * factae, extra omnem dubitationis aleam posuerunt, spongias esse zoophyta, quibus simplices in superficie pori, polyporum loco, sunt. Nullum tamen vitae vestigium est in *spongia fluuiatili*, licet odorem piſculentum a muco quodam inhaerente albido habeat. Combusta vix euidenter animalem odorem spargit. Ab hac, *spongiam lacustrem* LINN. Noster vix differre putat.

Adpendicis loco Cl. PALLAS tria genere ambigua addidit *taeniam* scilicet, quae magnam cum *intestinis* LINN. affinitatem habeat, licet LINNAEUS eam ad zoophyta retulerit, *voluocem*, qui forte cum vniuersa animalculorum infusoriorum familia ad brachyonos pertinet, et *corallinas*, quae vegetabilibus magis, quam zoophytis adnumerandae sunt. Obscura taeniae natura est, suspicatur tamen Noster, p. 402. esse illam zoophytum ex pericarpiis quasi seu ouariis concatenatum, quae continuum quidem systema constituant et communi vita gaudeant, singula tamen propriis organis nutritoriis instructa sint, successiue adolescant, matureſcant, tandemque defluant, et ouula forte intus maturata disseminent, ipsa pereuntia. In attenuata extremitate capitulum organicae structurae habent, quo, tanquam radici affixo, viuunt. Quae vero hic de taeniarum origine et fabrica porro Cl. PALLAS habet lectu digna et iucunda, ea hic praetermittenda sunt. Extra animale corpus taeniam, nisi casu, reperiri haud putat, sed ouula, cum excrementis disseminata, cum alimentis aut per aërem animalium corpora iterum intrare et in his excludi ostendit. Animalia spermatica p. 416. forte voluoci analoga esse monet. *Corallinas* ad vegetabilia pertinere, ex odore vegetabili, quem com-

 bustae

* vid. Phil. Transact. Vol. LIII. p. 419. Comment. nostr. Vol. XIII. p. 678.

buſtae ſpargunt, probat. Vigentes in mari nulla vitae ſigna exhibent, nulla iis eſt polypoſa aut mucoſa incruſtatio, porique calcareae ſubſtantiae adeo parui ſunt, vt polypi in iis hoſpitari nequeant. Reperit quoque Cl. MEESE * corallinam aliquam terreſtrem in Friſiae ericetis, vt itaque omnino vegetabilibus eae ex Noſtri mente inſerendae ſint.

XXIV.

Commentatio de arbuto vua urſi, exhibens deſcriptionem botanicam, analyſin chemicam eiusque in medicina et oeconomia varium vſum. Auctore IOANNE ANDREA MURRAY, Med. Doct. eiusdemque in Acad. Georg. Auguſta Prof. Publ. Exrtaord. Gottingae apud Bockwitzium et Barmeiſterum, 1765. 4. pl. 9.

Quo maior manſit inter medicos, de vuae vrſi in calculo vrinario virtute medica, poſt Ill. DE HAEN experimenta, diſſenſus, eo acceptius nobis eſſe debet ſtudium Cl. MURRAY, cuius aliquoties iam cum laude a nobis facta eſt mentio, quo, ſuaſu Beat. WERLHOFII, tum naturalem huius plantae hiſtoriam et chemicum eius examen, tum quae de viribus eiusdem apud Auctores inueniuntur, omnia, hoc commentario ſuis obſeruationibus aucta com-
p. 2. plecti, apud animum conſtituit. Totam vero hanc diſſertationem in quatuor capita abire iuſſit, in quorum primo botanicam vuae vrſi conſiderationem praemittit. Ex definitione generis arbuti, cuius generis characteres iam THEOPHRASTUS deſcripſit, qui illud *κόμαρον* dicit, differentia a vaccinio

* *Flora Friſica* Tab. I. n. 503.

nio, quocum satis de reliquo conuenit, cognoscitur. Cum enim in vaccinio germen extra vel infra calycem situm sit, illud contra in arbuto intra vel supra illum reperitur, siue in illo germen infra receptaculum, in hac supra illud inuenitur. Stamina quoque vaccinium octo, arbutus decem habet, fructusque huius longe durior et siccior est, quam prioris. Quinque autem arbuti species a LINNAEO enumerantur: *vnedo* scilicet (nostris *Erdbeerbaum*) *andrachne*, *acadiensis*, *alpina* et *vua vrsi*, quas omnes Cl. MURRAY accuratius hic describit, atque antiquitates earum multo studio eruit. Inprimis vero speciem vltimam, de qua hic sermo est, ex speciminibus, in ducatu Cellensi collectis, hic fusius verbis depingit, et characteres, quibus ab aliis plantis, quibuscum habitu conuenit, distingui potest, indicat. Inter has vaccinii species est, quae *vitis idea* dicitur, in qua folia latiora sunt, et statim, vbi petiolis inseruntur, ouata fiunt, atque praeterea in superficie inferiore punctis crebris notantur. Caules praeterea non procumbunt, sed oblique assurgunt et interne pauciores ramos et folia ostendunt, ipsaque corolla, quae octo modo stamina habet, profundius incisa campanulam fere refert. His praemissis, Cl. Auctor disquirit: num ve- p. 11.
teres iam arbutum cognouerint eoque vsi sint, docetque a DIOSCORIDE aliisque, sub nomine *ἰδαίας ἐίζης*, hanc plantam minime describi, sed hypoglossum, illos vero minus a vero abesse, qui *ἄρκου σαφυλῆν* GALENI et vuam vrsi vnum idemque esse, suspicati sunt. Varia deinde huius plantae synonyma et nomina, quae in variis linguis obtinet, colligit. *Vua* vocata est ob baccas, in racemos congregatas, *vrsi* vero, quia vrsis in deliciis esse dicitur. Germani *Mehlbeere*, *Baerentraube* vel *Sandbeere* vocant. Sequitur enumeratio variarum figurarum, quae de ea apud Auctores exstant, et iudicium de

illarum praeſtantia, nec non index locorum, quos ſyſtematum Auctores, huic plantae aſſignarunt. Locus natalis proprie in ſeptentrionalibus regionibus eſt, non tamen auſtrales plane reſpuit, cum Monspelii quoque, vbi primum vſus eius inualuit, reperiatur. In electoratu Hanouerano, in Cellenſi ducatu creſcit. Delectatur locis apricis, ſabuloſis atque in montibus, aut ſyluis inuenitur. In noſtris terris menſe maio floret, baccaeque circa decembris finem matureſcunt.

p. 21. In altera ſectione chemica vuae vrſi analyſis continetur. Sapor eius adſtringens et ſtipticus, atque poſtea haud ingrate amarus eſt. Caules foliis amaritudine cedunt, ſed magis adſtringentes ſunt. Odor fere omnis abeſt. His tamen experimentis non contentus, Cl. Auctor plantam chemico examini ſubiecit, atque experimenta ſua, quae hic fuſius enarrantur, cum iis, quae Cl. MODELIUS inſtituit, comparat. Parauit vero extractum eius aquoſum ſpirituoſumque, et infuſis quoque varios liquores admiſcuit, atque ex his omnibus cognouit, plantam hanc adſtringentem vim habere, adeſſe vero in ea gummoſas reſinoſasque partes, ex quibus tamen gummoſae, in quibus amara vis quoque latitat, reſinoſas copia ſuperant. Praeter reſinam vero et gummi inſignis quoque terrae copia adeſt, et pauxillum ſalis, quod cubicas cryſtallos format. Stipites plus terrae, quam folia habent. Volatiles vero et odorae partes nullae huic plantae inſunt.

p. 36. Tertia ſectione Cl. MURRAY de virtute vuae vrſi in curandis morbis agit. Ἄρκου σταφυλήν, quam vuam vrſi eſſe ſuperius adnotauimus, iam GALENUS in haemoptoë laudat, primum tamen vſus eius contra calculum apud medicos Monſpeſſulanos

hoc

hoc ſeculo inualuit *tandemque Ill. DE HAEN, ſua, quae cum hac planta experimenta ſuaſu Ill. DE SWIETEN fecit, inde ab anno huius ſeculi quinquageſimo ſexto expoſuit. Experientia vero Cl. MURRAY docuit, foliorum pulueriſatorum vſum nauſeam excitare, infuſum autem minus ingratum eſſe. Doſis pulueris foliorum a ſcrupulo vno ad drachmam vnam; infuſum vero paratur, ita, vt aquae cyathi duo vel tres ad drachmam vnam foliorum ſumantur. Quod ad ipſas obſeruationes, in aegris factas, attinet, ita in iis enarrandis Noſter verſatur, vt primo illas, quae Ill. DE HAEN inſtituit, proponat, iisque ſubiungat alias, quas beat. WERLHOFIUS atque Cl. VOGELIUS et TAUBE cum eo communicarunt. Et WERLHOFIUS, quidem in dyſuria, ex calculis renum minoribus, aliquoties conſpicuum leuamen ab vſu huius plantae expertus eſt, contra vero in mictu cruento chronico, cum teneſmo et dyſuria inſigni a veſicae vlcere, ſine fructu illam exhibuit. Cl. VOGELIUS dyſuriam ſenis, tribus doſibus tantum datis, ſuſtulit. Cl. tandem TAUBE obſeruauit, poſt paroxyſmos nephriticos plantae huius infuſum, lotium et ſabulos calculosque mouiſſe. Ipſe quoque Cl. MURRAY in duobus aegris calculoſis experimenta cum hac planta inſtituit. Symptomata moleſta ſemper mitigabantur, mucique excretio augebatur, ſed, ceſſante eius vſu, ſemper ſolatium quoque ceſſauit, vt itaque ſymptomatum tantum lenimen, fomite eorum non ſublato, exſpectandum ſit. Mucus excretus et ſic- p. 47.
catus, materiam exhibebat albam, ſplendeſcentem, duram, quae nec in aqua, nec in ſpiritu nitri ſoluebatur. Carbonibus tamen illa iniecta, foetor pilorum combuſtorum percipiebatur. Licet vero Cl.

* Factum hoc eſt, vti ex Cl. LINNAEI *Amoen. acad.* T. II. p. 407. patet, ante annum 1743.

MURRAY experimenta oſtendunt, mali cauſſam non tolli, tamen vuam vrſi, cum illorum lenimen promittat, et aegros a periculoſa calculi ſectione liberet, vel ideo magni aeſtimandam eſſe, Cl. Auctor docet. Diſquirit deinde, quomodo haec commoda calculoſis afferat, et oſtendit, nullam lithontripticam vim ei ineſſe, idque pluribus experimentis confirmat. Licet enim calculi nonnulli, eius decocto immerſi, magis friabiles facti ſint, experientia tamen eum docuit, hoc magis aquae ſoli, quam admiſtis plantae partibus tribuendum eſſe. Hinc tum adſtringendi virtute, cum adſtringentia in vniuerſum calculos pellant, tum amaritie ſua prodeſt, licet in hac ipſa eius actione explicanda multa adhuc obſcura ſint denſaque caligine inuoluantur. Addit deinde Cl. Auctor nonnulla de vi huius plantae in aliis morbis, inter quos leucorrhoea eſt, in qua egregiam opem tulit, in febre autem nihil praeſtitit; atque ex his omnibus concludit, omnino hanc plantam inter officinales recipiendam eſſe.

p. 61. De vſu huius plantae oeconomico notandum eſt, baccas vix eſculentas eſſe. Folia eius, nicotianae admiſta, ſapidiorem et delicatiorem eam reddunt. In Suecia ad tingendam lanam frequenter adhibetur. Cum alumine enim cocta, griſeum et cum vitriolo nigrum colorem dat. Iam dudum quoque vua vrſi cerdones Suecici ad ſubigenda et paranda coria vtuntur. Praeter *phalaenam arbutellam* LINN. *cocci* quoque ſpecies in caulibus, vuae vrſi radicibus proximis, reperitur, a LINNAEO in actis Suecicis * deſcripta, cuius collectionem et culturam Cl. Auctor commendat.

* vid. *Act. Soc. Reg.* a. 1759. p. 29. Comment. noſtr. Vol. X. P. II. p. 197.

XXV.

Noua physico-medica.

Academia scientiarum ac litterarum elegantiorum regia *Berolinensis* in conuentu, die 2 iunii 1769 habito, sequens problema, in annum 1770 oblatum, et e classe mathematica petitum, praemioque aureae monetae, quinquaginta numorum Hollandicorum aureorum aestimantis, ornatum, omnibus, exceptis academiae sociis, eruditis resoluendum proposuit: *quae dimensiones lentium obiectiuarum, ex duabus materiis eiusmodi, qualis est vitrum commune et crystallum Anglicum, efformatarum, omnium aptissimae sunt ad radiorum ex obiectis, siue in axi eorum, siue extra eam constitutis, incidentium aberrationes ex sphaericitate ac refrangibilitate vel plane tollendas, vel insigniter corrigendas, et quae, ac quo ordine cum iis lentes oculares combinandae, vt telescopia inde perfectissima construi possint.* Commentarii sunt mittendi ad Cl. FORMAY, Academiae Secretarium, ante calendas ianuarii 1770, quorum tum diiudicatio et praemii distributio fient die 31. mensis maii.

Anno praecedente, programmate vulgatum est, praemium classis philosophico-experimentalis, quod die 31 mensis maii 1769. adiudicabitur, concernere *determinata remedia arctius connectendi et combinandi physicam cum oeconomia rurali, quam hactenus factum est, et in specie referendi influxum principiorum physices, quaecunque sunt, ad diuersas dictae oeconomiae partes.*

Praemium, quod *Eadem* anno 1767. *optimae theoriae cochleae Archimedis et consiliis huius artificii augendi* constituit, IOHANNES FRIDERICUS HENNERT accepit. Tota theoria, etsi amplior est,

quam, vt indicari hic queat, tamen omnis eius emendatio cernitur in aucta aquae altitudine, quippe quae altius tolli poteſt. Aquae altitudinem, quam viderunt nonnulli in Hollandia, Cl. HENNERTUS accurate perquiſiuit et omnino conuenire cum ſuis rationibus, intellexit.

Eadem die 23. menſis ſeptembris 1768. Cl. GERHARD, Medicinae Doctorem, inter membra ordinaria in claſſe experimentalis philoſophiae adſciuit.

Cum in dies ſalutares effectus illius *Amſtelodamenſis* Societatis, *ad ſubmerſos vitae reſtituendos* inſtitutae, magis magisque appareant, et tamen nonnulli dubitent, ſubmerſos ita tractandos eſſe, magiſtratus non ſolum veniam, hos homines ex aqua tollendi, dedit, ſed ſumtus remediorum reddere et praemium iis ſoluere, qui miſeris ſic inſeruiunt, etiamſi nihil efficiant, pollicitus eſt. Coguntur quoque inquilini ſine mora excipere merſos, et, qui recuſant, mulctam viginti et quinque florenorum in vſus exercitus ſoluent.

Amſtelaedami NICOLAUS LAURENTIUS BURMANNUS creatus eſt botanices Profeſſor, patrique IOANNI, multis operibus botanicis editis et a nobis paſſim indicatis, illuſtri, in eodem munere gerendo adiunctus.

Praeter alia praemia, quibus *Rothomagienſis* Academia ſcientiarum et artium ornabit atque ad maiorem induſtriam excitabit literarum ſtudioſos, de illo quoque agebatur in conuentu eius, die 3. auguſti 1768. habito, quod deſtinatum erat illi, qui *Normandiae mineras earundemque commoda* * deſcribet,

* vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 549.

et, ſed cum ſuper hac quaeſtione nullus ei ſit traditus commentarius, conſultum duxit, huic quaeſtioni aliam ſubſtituere: *Suntne diſtincti limites inter tria naturae regna, animale, vegetabile et minerale; an inter ſe ita concatenata ſunt, vt vnita videantur.* Ante calendas iulias 1769 Academiae diſputationes ſunt mittendae.

Academia ſcientiarum elegantiorum literarum et artium *Lugdunenſis* praemium, monetam nimirum auream trecentarum librarum Gallicarum, a b. CHRISTIN conſtitutum, illi decreuit, qui poſt diem S. Ludouici 1770. optime ad hanc quaeſtionem reſponderit: *Ex quibus partibus conſtat lympha et in quonam viſcere elaboratur?* porro *vtrum vaſa, lympham in ſe continentia, vltimarum ſint arteriarum continuationes, an ſua habeat hic humor vaſa, a reliquis vaſis corporis humani plane diuerſa*, breuius, *quodnam commodum afferat hic humor oeconomiae animali?*

Eadem optat, vt inquirat quis *in cancri naturam, effectus et optima remedia* hoc ipſo, a nobis iam indicato, anno. Praemium, optimae dicatum reſponſioni, ſexcentas libras Gallicas aequat, quas Academia a Cl. POUTEAU iuniori, qui hac de re meditatus, nec penitus exhauſiſſe eam arbitratus eſt, his precibus accepit, vt haec quaeſtio vulgaretur. Atque hoc effecit et vult, vt omnem, quam poſſunt, nauent operam, fines phyſicae poſſibilitatis ponendi firmos, ex quibus declarari poſſet, vere fieri poſſe, vt cauſſae et effectus vitii cancroſi per medicamenta in et externa tollantur, et aetatem, genus, temperamentum et varias cacochymiarum ſeu acrimoniarum ſpecies, quibuscum hoc venenum communicari queat, animaduertendi.

Eadem

Eadem quaeſtionem anno 1765. * propoſita quoniam praemio 1768. duplicato nemo reſpon rat, coacta eſt iterum ad annum 1771. propone atque triplex promittere praemium. Ac propter nullas in poſterum ſoluendas offeret quaeſtione ſed apud ſe conſtituit, illi, qui *vtiliſſimam detectionem in artibus* eo, quo ſolent, modo efficit, edito praeſenti programmate, exhibere praemium. Quae vero omnino in mittendis commentariis ſunt animaduertenda, ea ſupra indicauimus.

Quanquam *Burdigalenſi* Academiae regiae ſcientiarum elaborationes theſeos anni 1766. *de genere atque eſſentiali morborum epidemicorum, indole* etc. ** ſatis eruditae, praeſertim vna, quae quoque Auctori ad emendanda nonnulla et addenda quaedam tradita eſt, nondum autem reddita Academiae, ſunt miſſae, tamen Ea propoſitae rei neceſſitate permota et huius materiei vtilitate perſuaſa, non potuit non, eandem ſententiam iisdem verbis et conditionibus ad annum 1770 denuo proponere ac promulgare. Alterius autem quaeſtionis 1768. propoſitae, ita ſeſe habentis: *qui ſit optimus modus inſtituendi analyſin aquarum mineralium et an ſola analyſis ſufficiat, ut certo virtus earum et proprietates poſſint determinari?* *** miſſas reſponſiones earundemdemque diſquiſitionem, grauioribus negotiis occupatam Academiam vſque ad proximum differre oportuit annum.

Accipiet quoque praemium duplicatum hoc 1769 anno ille, qui exhibitum *de argillae natura et remediis eam fertilem efficiendi* **** ſoluet problema et eum duo, hoc ipſo indicato anno, ſint diſtribuenda praemia,

* v. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 551.
** v. Comment. noſtr. Vol. XII. p. 165. et Vol. XIII. p. 160.
*** v. Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 535.
**** v. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 551.

praemia, alterum dabit Academia optimae diſquiſitioni, *numne dentur phyſica remedia lichenum et muſcorum, qui arbores infeſtant, delendorum et hoc malum ab arboribus arcendi et quae ſint?* *

Aliud porro praemium anno 1770, praeter illud, quod quaeſtioni in initio huius orationis commemoratae, dicatum eſt, huius propoſitionis ſolutioni largita eſt *Eadem* Academia: *Quaenam optima methodus, mari metiendi celeritatem ſeu curſum nauium, neglectis obſeruationibus oſtronomicis et venti appulſibus, et num, deficiente noua et emendata, huc vſque conſueta, metiendi ratione, nullum exſtet auxilium, hoc inſtrumentum perfectius reddendi et ita adaptandi, vt moto mari, ſtatim eo queat vti, atque impediendi, quo minus funis non adeo extendatur et abbreuietur, et annon fieri poſſet, vt per ſimplicius et minus ſumtuoſius inſtrumentum tempus triginta ſecundarum, quibus praeterlapſis, hoc finitum eſt, poſſit dimetiri, quam trabs lata, ad quam huc vſque refugerunt nautae.* Dum haec proponit Academia, vulgatur, diſputationes, quae vel emendationem produnt, vel commoda afferunt, experientia fida confirmata, et absque magnis impenſis facilius praeſtita, ad clariſſimum DE LA MONTAGNE, Academiae Secretarium aut bibliopolam BRUN ante diem 1. maii 1769 ita, vt profiteantur ſua nomina auctores, eſſe transmittendas et gallice aut latine conſcribendas. Reliqua, quae non ſunt negligenda ab iis, qui cum Academia quid communicant, ſupra narrauimus.

Quae *Monachii* floret Electoralis *Bauarica* ſcientiarum Academia praemium, quod e claſſe philoſophica huic quaeſtioni, 1768 propoſitae: *num lupulus Bauaricus aeque bonus ſit ac Boemicus?* ** dicatum fuerat,

* vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. l. c.
** Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 546.

fuerat, addixit Comiti de TÖRING SEEFELD equiti St. Georgii et Electori a cubiculo.

Eadem Academia anno 1769 aliam, quae ad classem spectat philosophicam, quaestionem mouit: *Num sint remedia et quaenam dissiciendi nubes tempestate grauidas, et regiones contra grandinem tuendi?* Quam qui soluerit, monetam auream quinquaginta numorum Hollandicorum aureorum accipiet. Mittendae autem sunt elaborationes ad HELEPHONEM KENNEDY, munere Secretarii Academiae fungentem, exeunte mense augusti 1769, addito auctoris nomine.

In conuentu Scientiarum Academiae *Theodoro-Palatinae*, quae *Manhemii* floret, die 20. mensis octobris 1768. habito, sententiae ferebantur de iis, quae tradita fuerant Academiae. Eius enim votis quodammodo respondit ea tractatio Germanica, qua *noua methodus mercurii e mineris suis minore sumtu eliciendi* * explicata erat; *non mihi, sed patriae* designata. Quae quidem, quamquam non omnino placuit, tamen praemium viginti et quinque numorum aureorum Hollandicorum illi datum est, quod si acceperit, nomen eius inclusum aperietur et innotescet.

Porro *Eadem* hanc quaestionem proposuit: *quae sit natura et qualitas scarabaei a prima eius origine vsque ad mortem et quod optimum sit remedium huius insecti destruendi?* Viginti et quinque numorum aureorum Hollandicorum praemio ornabitur is, qui ad hanc quaestionem optime respondet. Reliquis dein perquisitis, denuo repetebatur quaestio, ad annum 1769. proposita. ** Quae obseruandae sint leges mittendorum commentariorum, supra *** commemorauimus. Die

* vid. Comment. nostr. Vol. XIII. p. 692.
** vid. Comment. nostr. Vol. XIV. p. 546.
*** vid. Comment. nostr. Vol. XII. p. 163.

Die 29. menſis nouembris 1768. a nuper * condita regia ſcientiarum artiumque bonarum *Mantuana* Academia ac medica eius inprimis claſſe propoſita eſt haec quaeſtio: *quod optimum ſit remedium imminentis ſcorbuti et illius quidem, qui in continenti terra verſantes inuadit.* Praeſes huius Academiae eſt Ill. Comes CAROLUS OCTAVUS DE COLLOREDO, et praemium ſingulis annis die 11. novembris diſtribuetur.

Societas ſcientiarum *Harlemenſis* in conuentu die 24. maii 1768. habito, in numerum ſociorum recepit IOANNEM NETTIS, Medicinae Doctorem, Middelburgenſem et CORNELIUM PLOOS, Amſtelaedamenſem, Directorem Academiae Amſtelaedamenſis, delineando deſtinatae.

Eadem ipſo illo die declarauit, ALEXANDRUM PETRUM NAHUIS, Doctorem Medicinae Hornii,** auctorem eſſe commentarii, qui inſcriptus erat: *in magnis voluiſſe ſat eſt,*** illique monetam argenteam, Auctori illius operis adiudicatam, miſit.

Die 1. menſis iulii 1768. iuſſu Auguſtiſſimae Imperatricis Mariae Thereſiae illi, qui *cuprum depurandi et perfectius reddendi, quantum poteſt, hoc metallum ſine pretii augmento* tradet methodum, ſiue inquilinus fuerit, ſiue exterus, praemium mille numorum Hollandicorum aureorum ſoluetur. Exſpectatur huius quaeſtionis reſponſio intra annum, a die nimirum inceptum, quo haec eſt publicata, tentaminibus variis et experimentis fidis confirmata.

Nuper

* vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 367.
** vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 695.
*** vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 549.

Nuper * conſtituta a bonis ciuibus in incrementum opificiorum, artium et reliquorum quaeſtus generum Societas *Hamburgenſis* ad annum 1769. illis, *qui compoſitionem veri nec aliis coloribus ſumtioris coloris viridis ad goſſypium tingendum* detegent, et *optimum compeſcendis incendiis ſiphonem, qui facile amoueri poteſt, et viarum anguſtiis eſt accommodatus ſine maioribus impenſis et cum eadem facilitate, qua huc vſque*, ſingulis praemium numorum Hollandicorum aureorum ducentorum exhibebit. Quo nomine epiſtolae, ad hanc Societatem mittendae, ſint inſigniendae, et quae vlterius obſeruanda, ea ſupra ** declarauimus.

Regiae ſocietatis ſcientiarum *Suecicae* et Phyſica Medicae *Baſilienſis* ſocius factus eſt EDUARDUS SANDIFORT, Medicinae Doctor Hagae Comitum.

In Academia *Argentoratenſi* IOANNES FRIDERICUS LOBSTEIN, Medicinae Doctor, anatomiae et chirurgiae ordinariam adiit profeſſionem, et die 3. nouembris 1768. orationem inauguralem: *de chirurgiae ocularis praeſtantia*, habuit.

CHRISTIANUS FRIDERICUS IAEGER, Medicinae Doctor, in Academia *Tubingenſi*, Profeſſor botanices creatus eſt.

Eadem Academia praematuro obitu PHILIPPI FRIDERICI GMELINI, Medicinae Doctoris, chemiae et botanices Profeſſoris publici ordinarii, regiae ſocietatis Londinenſis ſocii, die 9. menſis maji 1768. permagnam paſſa eſt iacturam.

Menſe

* v. Comment Noſtr. Vol. XIII. p. 155.
** v. Comment. noſtr. Vol. XIII. l. c. et p. 538.

Menſe iulio 1768. ALEXANDER MONRO ſe-nior, Medicinae et Anatomiae Profeſſor et Societatum variarum membrum, cuius memoriam nunquam obliuioni tradent eruditi, multis et diuturnis doloribus vexatus, morte conſumtus eſt Edinburgi.

IOANNES HUXHAM, vir doctrina ac eximia medendi peritia praeſtans, ſumma ſenectute confectus, die 12. menſis auguſti 1768. Plimuthi e viuis ereptus eſt.

Eiusdem menſis die 15. 1768. PETRVS COLLINSON, cuius aſſiduitas in hiſtoria naturali tractanda et praecipue plantis Americanis cognoſcendis nemini non conſtat, Millhil prope Londinum ſupremum obiit diem.

Die 20. menſis ſeptembris 1768. clariſſimus LE CAT, cuius ipſum nomen memoriam eius commendabit, Lugduni placide exſpirauit.

In Academia *Argentoratenſi* die 19. menſis ſeptembris 1768. GEORGIUS HENRICUS EISENMANNUS, Medicinae Doctor, praxeos publicus Profeſſor ordinarius, Facultatis medicae et capituli Thomani ſenior, vitam cum morte commutauit.

Petropoli die 3. menſis octobris 1768. quinquageſimo quinto aetatis anno mortuus eſt IOSEPHUS ADAMUS BRAUN, cuius memoriam meteorologicae et aliae phyſicae obſeruationes, nouis commentariis Petropolitanis inſertae, perpetuo conſervabunt. Primus quoque fuit, qui mercurium frigore tangi et malleabilem reddi poſſe detexit.

In Academia *Göttingenſi* die 20. menſis novembris 1768. e vita diſceſſit DAVIDES SIGISMUNDUS AUGUSTUS BÜTTNER, Profeſſor botanices, vir quamquam ſcriptis non adeo notus, tamen et extra Germaniam inter botanicos maximos relatus.

Eodem anno Pariſiis IOANNES BAPTISTA NICOLAUS BOYER, eques ordinis regii, medicus regius, noſodochiorum militarium inſpector, medicae Facultatis Pariſinae Decanus ſenior, regius cenſor et membrum regiae academiae Londinenſis, ſeptuageſimo quinto aetatis anno viuere deſiit.

Ibidem quoque ANTONIUS FERREIN, Medicinae Doctor, et Facultatum, Monspeliacae et Pariſinae regens, vltimum vitae diem 11. menſis februarii 1769. egit.

Eodem menſe anni eiusdem IOANNES ALBERTUS SCHLOSSER, Medicinae Doctor Amſtelaedamenſis, nimis praematura obiit morte Amſtelaedami.

Vt nupero * promiſſo noſtro ſatisfaciamus, de *inoculationis* hiſtoria nonnulla, quae ab eo tempore partim ex medicorum annotationibus, partim ex narrationibus publicis cognouimus et collegimus, tradamus. Quamquam Facultas Pariſina medica magnas adhuc de inoculatione alit controuerſias, tamen collegium ſummi magiſtratus a partibus inoculationis eſt, et rex veniam dedit Cl. GATTI, cuius olim mentionem fecimus, ** eam in ſchola militari, quae ibi floret, exercendi, ſed conſentientibus horum liberorum parentibus.

Nec minus Auguſtiſſima Hungariae Regina aula Imperiali inoculationi fauet, quam multi nobiles ſequen-

* Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 541.
** Comment. noſtr. Vol. XII. p. 726.

quentur, dum principes, Ferdinandum et Maximilianum et Mariam Thereſiam optimo cum ſucceſſu inoculauit Cl. INGENHOUS, qui magnis praemiis ornatus et reditu annuo quinquies mille florenorum, quorum bis mille et vidua eius exſpectare poteſt, donatus, medicus aulae et principis eſt creatus.

Atque ſimili honore affectus eſt et ſimilem reportauit dignitatem ab Imperatrice Ruſſiae Auguſtiſſima, Clariſſimus THOMAS DIMSDALE, ob feliciſſimam Eius inoculationem cum quingentis libris numorum ſterlingicorum, et actualis ſenatus de ſtatu publico ſecretioris conſiliarius nominatus, ſimulque cum filio eius, NATHANAELE, baronatus Ruſſici honore adornatus eſt, ita, vt huius clementiae fructus et ad eius poſteritatem redundent. Pari felicitate Cl. SCHWENCKE Sereniſſimam Principem Naſſouienſem implantauit.

Senatus porro *Venetus* viginti et quatuor liberos mendicorum, in triuiis inuentos, cum optimo ſucceſſu inoculari curauit. Pariter triginta et quod excurrit *Hamburgi*, et triginta et ſeptem 1767. et ſeptendecim 1768. Fribergae a NAUMANNO, Medicinae Doctore et chirurgo militari DÜVELT ac apud nos hic Lipſiae cura Experientiſſimorum Virorum HEINE et KADELBACH adultis aeque ac iunioribus, exoptatiſſimo cum euentu variolae ſunt inſitae.

Nuper quaedam de praeclaro Potentiſſimae Ruſſorum Imperatricis inſtituto, in rei literariae commodum ſuſcepto, monuimus *. Nunc ea, quae ex litteris virorum illorum, qui in diſſitas regiones miſſi ſunt, accepimus, addemus. Intelleximus enim ob varias cauſſas, quae iter retardarunt, Cl. PALLAS vsque ad *Penzam* tantum veniſſe, ibique

* Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 551.

que frigoris vi iam plantarum plurium diſquiſitionem impeditam eſſe, eumque in *Simbiſchk* hiemare. In foſſilibus praecipue et nonnullis animalibus cognoſcendis et perquirendis occupatus fuit, nec non alia, de quibus omnibus iam ad Academiam retulit, vidit memorabilia. Hoc anno 1769. *Samaram* et *Sok* petet et tum ad *Wolgam* per deſerta *Iaik* viſitabit adque *Orenburg* tempus conſumet hyemale. Ad iuga montis *Ural* tertio anno proficiſcetur et quarto ſeu quinto ad *Irtiſch* ſe venturum ſperat. Clariſſimum autem GMELIN in oppido *Worſneſch* ad fluuium *Don* hiemaſſe; ibique, quae vidit, repetiturum et quae collegit, in ordinem redacturum eſſe, ad nos perlatum eſt. Magnam inprimis detexit illarum regionum atque plantarum varietatem. Terra enim nigra eſt, multis nitroſis particulis referta ideoque fertiliſſima. Multis porro, quae ad hiſtoriam naturalem ſpectant, obſeruatis, iam ad fluuium *Don* per deſerta verſus *Zarizin* et *Aſtracanum* iter faciet ibique futuram aget hyemem.

Vir nobilitate aeque clarus ac doctrina praeſtans BRANKS, cui per annum 6000 librae numorum ſterlingicorum redeunt, inſumit eas in natura diſquirenda, iterque fecit ante ad terram *Labrador* et ſinum HUDSONIS et magnam collegit plantarum, piſcium, auium, inſectorum aliorumque naturalium copiam. Iam vero menſe auguſto 1768. petebat denuo Patagonicam inſulam, *Georges Island* dictam. Ipſe magna botanices inſtructus cognitione, praeterea comitem habet SOLANDRUM, Medicinae Doctorem, dignum III. LINNAEI diſcipulum, qui quidem Britannico praeeſt muſeo, venia tamen itineris impetrata, facilem huius itineris comitem ſeſe praebuit.

Vt

Vt botanices cultoribus gratum faciamus, quaedam de *Flora Danica* GEORGII CHRISTIANI OEDERI, cuius iam * mentionem fecimus, hic commemorare liceat. Conqueſti enim cum ſint de nimio huius praeſtantiſſimi operis pretio eruditi, regis Daniae immenſus ardor et ſingulare erga literas ſtudium huic moleſtiae illud remedium adhibuit, vt pretium huius operis imminui et inde a ſeptimo faſciculo minore ſumma vendi iuſſerit. Quapropter pro ſingulis faſciculis iconum nigrarum, qui quaternis imperialibus argenti Danici alias conſtabant, in poſterum duos thaleros cum dimidio ſeu numum aureum Hollandicum et pro faſciculis iconum, viuis coloribus pictarum, quorum pretium nouem imperialium erat, octo emtores ſoluent. Praeterea quoque placuit operis continuationem accelerare. Quem ad finem, ſingulo anno ſequente, duo faſciculi, quorum quilibet ſexaginta iconibus conſtabit, tempore Paſchatos et Michaelis vulgabuntur et ita octauus circa feſtum Paſchatos 1769, nonus menſe ſeptembri eiusdem anni, ſicque vno tenore ſequentes apparebunt. Quamquam denique ſecundum praeſcripti formam ſex priorum pretium non diminuendum erat, tamen et hi nigrarum nimirum iconum, qui duas partes ſeu tomos abſoluunt, pro quindecim imperialibus loco viginti et quatuor offeruntur, viuis autem coloribus pictarum faſciculis nihil poteſt detrahi. Debemus hanc relationem Cl. OEDERO, qui bibliopolas *Philippertum*, *Heineck* et *Faber*. Hafniae verſantes, quibuscum emtores agere poſſunt, nominauit.

Recens conſilium FRIDERICI HENRICI GUILIELMI MARTINI, Medicinae Doctoris Berolí-

* vid. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 701.

rolinenſis, quod ſine dubio cepit, dum iuſſu muſeum erat Ei in ordinem redigendum Berolinenſe, eodem modo ab eo ordinatum, quo opus, quod iam indicaturi ſumus, conſcribere apud ſe conſtituit, *nouum conchyliorum ſyſtema edendi*, hoc eſt: Conſtabit totum opus *ſex* partibus, quarum prima *teſtacea vniualuia non turbinata* et librum primum *turbinatorum*, ſecunda librum ſecundum *turbinatorum* ſeu *buccina* et *ſtrombos*; tertia librum tertium ſeu *trochos*, *cochleas lunares* et *ſemilunares*; quarta *biualvia*, quinta *pluriualuia*; ſexta *conchylia terreſtria et fluuiatilia tam indigena, quam exotica*, comprehendet. Prodibit Norimbergae per partes apud *Gabrielem Nicolaum Raſpe*, qui, ſi ſunt, qui nomina ſua profiteantur, edita prima parte, et Gallicam verſionem curabit eorumque nomina adiiciet, et per *Andream Fridericum Happe*, Academiae ſcientiarum regiae Berolinenſis pictorem, ad viuum pictis coloribus ornabitur.

XXVI.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763. prodierunt.

Sammlung vermiſchter Schriften aus der Naturwiſſenſchaft, Chymie und Arzneygelahrheit. Leipz. 8.

Blut-Medicina. Görlitz 8.

HENRIC. BASSII tractatus de morbis venereis. Erford. 8.

De medicamentis pro noſocomiorum leuamine moderandis et iuſculis, per bouina oſſa in Papiniano vaſe parandis, Commentarius epiſtolaris Mediolani conſcriptus a IOANNE CALVO; altera poſt Brixianam editio. Piſis, 4.

IO. FRID. CLOSSII carmen de Peruuiano remedio variolarum prophylactico valde limitando. Lugdun. 4.

LIONH. EULERS *Gedancken von dem Raume, dem Ort, der Dauer und der Zeit. Quedlinb.* 8.

HIERON. DAV. GRUB de regimine mentis, quod medicorum eſt. Lugdun. 4.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED diſſ. inaug. de natura ſulphuris antimonii aurati et hinc dependente virtute emetica eiusdem. Auctor. et Reſp. *Weſſel Lümmen.* Ien. 4.

IOH GERH. KRÜGERS *Unterricht, wie ein Soldat ohne Arzneyen ſeine Geſundheit erhalten könne. Halle* 8.

RICHARD. MEAD mechanica expoſitio venenorum. Francof. 8.

A Treatiſe on Ruptures by PERCIVALL POTT the ſecond. edit. altered, corrected and improved. Lond. 8.

IO. GEORG. ROEDERER de morbo mucoſo liber ſingularis. Götting. 4. c. fig.

AUGUST SCHAARSCHMIDTS *Abhandlung von Wunden. Berlin* 8.

WILHELM SMELLIE *Bemerkungen in der Hebammenkunſt. 2ter Band, Altenb.* 8.

WILSONS *und* HAADLEY *Betrachtungen über eine Reihe elektriſche Verſuche. Leipz.* 8.

XXVII.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1764. prodierunt.

Bergwerks-Ordnung in den Kayſerl. Königl. Oeſterreichiſchen Landen. Nürnb. fol.

— Memoires ſur les Manufactures de Draps et autres Etoffes de Laine. Yuerd. 8. II. Part.

Flora Anglica ou flore Angloiſe; contenant les Plantes, qui croiſſent naturellement, dans le Royaume d'Angleterre, diſtribuées ſuivant le ſyſteme ſexuel avec les differences des eſpeces, les ſynonimes des Auteurs, les noms vulgaires, le ſol des lieux, le temps de leur floraiſon et les preparations pharmaceutiques dans lesquelles elles entrent. à Londres, 8.

Nachricht von den Stücken aus dem Pflanzenreiche, welche in denen Apothecken aufbehalten werden. Dreßden, 8.

Unterricht von Verbeſſerung der Schaafzucht. il. 8.

Die beſte und bewährteſte Erfindung wieder das Kapen der Pferde. Anſpach 8.

Programma, quo Academiae Fridericianae Erlangensis nouus Prorector denuntiatur: de cultus vineatici in Franconia primordiis. Erlang. fol.

Methode aiſée et ſûre de guerir les Polypes du Nez. à Vienne, 8.

Aphoriſmes pour la connoiſſance et la cure de quelques maladies, adaptés aux principes de l'Economie animale par M. BATTIE, Docteur en Medecine. à Londres 4.

I. M. BERNHOLDI formulare medicum. Vffenheimae, 8.

Traité des Opérations de Chirurgie par AMBROISE BERTRANDI, Chirurgien du Roy de Sardaigne, Profeſſeur de Chirurgie pratique en l'Univerſité de Turin et Aſſocié de l'Academie Royale de Chirurgie de Paris. 2 Voll. à Nice, 8.

Traité du Tetanos, ou du mal de la mâchoire, maladie de l'Amerique par M. BILFINGER. à Göttingue.

G. F. BRANDERS *Beſchreibung eines optiſchen Inſtruments, Geſichtswinkel zu meſſen. Augſpurg*, 8. *m. K.*

HENR. FRID. DELIUS Progr. quatenus plenus venter non ſtudeat libenter. Erlang. fol.

Recueil de differents Traités de Phyſique et d'Hiſtoire naturelle par Mr. DESLANDES. 3 Volum. à Paris, 12.

De l'Exportation et de l'importation des Grains. Memoire lu a la Societé Royale d' Agriculture de Soiſſons par M. DUPONT l'un des Aſſocies. à Soiſſons et à Paris. 8.

I. A. EICHHORNS *Beſchreibung des Durchganges der Venus durch die Sonnenſcheibe*, 1761. *Nürnberg* 4.

1. * * * *Anmerkungen über die nöthige Achtſamkeit bey Erforſchung der Gewitter-Electricität. Hannover* 4. *m. K.*

Obſervations de Medecine, par M. DE FLECHT, à Londres 12.

Regles pour la conſervation de la Santé: contenant tout ce qui a été le plus conſeillé par le plus grands Medecins, avec des conſeils faciles pour les plus facheux accidens, qui arrivent aux hommes pendant la vie, par IEAN FOTHERGILL. à Londres 12.

Les figures des plantes et animaux d'uſage en Medecine, decrits dans la matiere medicale de Mr. DE GEOFFROY Medecin, deſſinés d'apres nature par Mr. DE GARFAULT, gravés par Mrs. DEFEHRT, PREVOST, DUFLOS MARTINET et NIQUET. Paris 8 mai.

10. GOTTL. GLEDITSCH Conſideratio epicriſeos Siegesbeckianae in Linnaei ſyſtema plantarum ſexuale et methodum botanicam. Berolini. 8.

— WILHELM FRIEDR. *Freyherrn von* GLEICHEN *genannt* RUSWORM, *etc. Geſchichte der gemeinen Stubenfliege, herausgegeben von Joh. Chriſt. Keller. Nürnb.* 4 mai. *m. illum. K.*

Hr. FR. VON GÖCHHAUSEN *Jagd- und Weidwerks-Anmerkungen. Weimar* 8.

Traité des Maladies Vénériennes par M. GOULARD. 2 Vol. à Paris 12.

Nouvelle Methode curative de Maladies venerienes par M. L'ESCARDE DE GUESMEVILLE Chirurgien des Hopitaux d' Artois etc. à Londres 12.

Obſervations pratiques ſur les cancers et les accidens de Poitrine, ou l'on fait connoitre leurs differens

differens caracteres et leurs evenemens avec une centaine de cas heureuſement traités ſans le fer; par RICHARD GUY, Chirurgien de Londres. à Londres 8.

IOH. HADLEY *Beſchreibung eines neuen Inſtruments, Winkel zu meſſen. Augſp. 4. m. K.*

Herr DU HAMEL DU MONCEAU, *von der Holzſaat und Pflanzung der Waldbäume, auch derſelben fernerer Wartung. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. 1. und 2. Theil, Nürnberg 4. m. K.*

IOH. CHRIST. HIRSCH *Sammlung verſchiedener Nachrichten, welche in das Policey- Cameral- und Landes- Oekonomie- Weſen einſchlagen. 2ter Theil, Anſpach 8. m. K.*

EIUSDEM *redlicher Schäfer oder umſtändliche Beſchreibung einer Schäferey.* ibid. 8.

IOH. GOTTL. KRÜGERS *Naturlehre. 2 Theile, Halle 8. m. K.*

Uſage utile de la ciguë dans les maladies Chirurgicales, par FERDINAND LEBER, Docteur en Medecine et Profeſſeur de Chirurgie etc. à Vienne 8.

Lettre de M. XAVIER MANETTI, Docteur en Medecine, ou Supplement a ſon traité de l'inoculation de la petite Verole, écrite a M. I. A. CASAGRANDE, Cremonois et Medecin en exercice de l'Hopital Royal de S. Maria-Nova. à Florence 4.

Oeuvres de Medecine de RICHARD MEAD, Docteur en Medecine. à Londres 8.

Eſſai ſur les cauſes et ſur la cure des maladies ordinaires, dans les voyages des Indes occidentales; enſemble auec les preſervatifs contre ces maladies, en reponſe aux queſtions propoſées par la Societe de Sciences d'Hollande: *Quelles*

ſont

ſont les cauſes des maladies, qui attaquent ordinairement les Matelots, dans le voyages des Indes occidentales? Et quels ſont les moyens de les prevenir et de les guerir; par SAL. de MONCHY, Medicin; traduit de Memoires de la Societe de Harlem a Londres. 8.

WILHELM HERZOG VON NEUCASTEL, *neueröffnete Reitbahn, oder vollkommner Stallmeiſter. Fol. m. K.*

— Diſſertation ſur les productions Marines, qu'on trouve dans les environs de Feltré, ville de la Marche Treviſone en Italie par M. ODOARDY. à Neaples.

IOH. PALFYN, *chirurgiſche Anatomie aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 2ter Band. Nürnberg. 4. m. K.*

Deſcription d'un nouvel Inſtrument pour l'Operation de la Cataracte, par M. IOSEPH PALUCCI. à Vienne.

— M. A. PLENCIZ, diſſ. ſeu noua ratio frumenta aliaque legumina quam plurimis annis integra ſaluaque conſeruandi. Vindobon. 8.

Obſeruations Phyſiques ſur la force Electrique auec des nouvelles experiences; par le Pere RIEGER, de la Compagnie de Jeſus. a Madrid. 12.

G. B. ROBINET, *von der Natur, 1ſter Band. Frankfurth. 8.*

IOH. FRIDR. RÜBELS, *mediciniſche und chirurgiſche Wahrnehmungen. Nürnberg. 8.*

S. S. I. SCHERFERI, *neue Verbeſſerung dioptriſcher Fernröhren, welche von den berühmten* DOLLAND *erfunden worden. Leipzig. 4.*

M. SEWEYNS, *kurze aus der Wirkung des Magnets hergeleitete Abhandlung von der innern Beſchaffenheit der Erdkugel. Nürnberg. 4. m. K.*

Supple-

Supplement neceſſaire aux derniers Eſſais ſur les vertus medicinales de la ciguë par ANTON STÖRK, premier Médecin de ſa Majeſté l'Imperatrice Reine d'Hongrie, avec quelques corollaires et remarques ſur la figure de la plante dont il fait uſage, tirée d'apres nature. Traduit du Latin à Londres. 8.

Chaque Homme eſt ſon propre Medecin, collection complete des Remedes efficaces et approuvés pour toutes les Maladies, qui attaquent le Corps humain, par. M. IEAN THEOBALD, Docteur en Medicine. à Londres. 8.

Elemens de Phyſique non mechanique ou Introduction à cette partie la plus importante de la Philoſophie naturelle, qui exige principalement la demonſtration et la diſtinction des forces intrinſeques et inherentes des Corps neceſſaires pour operer la majeure partie des Phenomenes de l'univers; le tout executé avec methode et aiſance pour tout le monde par M. THOMASSINI, Profeſſeur de Médecine, avec planches en Taille-douce. a Lucques. 4.

Eſſai ſur l'oeconomie, nouvelle edition par EDOWARD WARKINSON, Docteur en Médecine, et Recteur de Little-Chart, dans la Comté de Kent. a Londres. 8.

Relation particuliere de ce qui s'eſt paſſé touchant l'ecrit publié dans le cinquante unieme volume des Transactions Philoſophiques intitulé: *Rapport d'une operation remarquable, ſur une fracture du bras* etc. et dans laquelle les principaux faits ſont prouvés avec évidence; par M. CHRISTIAN WHITE, Chirurgien de l'Hopital de Mancheſter. a Londres 8.

Eſſais

Eſſais de Phyſiologie par ROBERT WHYTT, Do-
cteur en Medecine, Membre de la Societé Royale
et Medecin du Roi; ſeconde édition corrigée et
augmentée. àLondres. 12.

De la experience en Médecine, par M. IEAN GEOR-
GE ZIMMERMANN. à Zürich, 8.

Contenta in hac parte:

I. Kongl. Vetenskaps Academiens Handlinger för Ar. 1765. Vol. XXVI. Pag. 3
II. MARTINI *Chirurgiſche Streitſchriften* 36
III. MARSILII fungi Carrarienſis hiſtoria 33
IV. CHESTON'S Pathological inquiries and obſervations in ſurgery cet. 36
V. SCHAEFFERS *Electriſche Medicin* 46
VI. TUMAE Diſſ. inaug. med. de aqua Pyrawartenſi 48
VII. PANNONII hydrographia comitatus Trencſinenſis 50
VIII. CLERCK tal innehållande nägra Anmärkingar om Inſecterne etc. 53
IX. ZETZELL tal, om en Svensk Soldats föda i Fält; 55
X. Philoſophical Transactions Vol. LIV. for the Year 1765. 58
XI. BASTER opuſcula ſubſeciua Tom. II. lib. 2. & 3. 75
XII. SCHMIDEL icones plantarum et analyſes partium 81
XIII. WINKLER *Unterſuchungen der Natur und Kunſt* 86
XIV. CLERCK icones inſectorum rariorum cum nominibus eorum triuialibus cet. 89
XV. Ô REILLY tractatus de ortu ac indole, contentis viribus medicis ac debito vſu aquarum mineralium Stecknicenſium 91

XVI. WULFF

XVI. WULFF ichtyologia cum amphibiis regni Boruſſici Pag. 96
XVII. KLEIN oua auium plurimarum cet. 97
XVIII. *Fränkiſche Sammlungen, 7. und 8ter Band* 100
XIX. BISSET'S medical Eſſays and obſervations 109
XX. PLENCIZ opera phyſico-medica Tom. I-IV. 126
XXI. SCHAEFFER *Zweifel und Schwürigkeiten, welche in der Inſectenlehre vorwalten* 148
XXII. EIUSDEM elementa entomologica 150
XXIII. PALLAS elenchus zoophytorum 153
XXIV. MURRAY commentatio de arbuto vua vrſi 164
XXV. Noua phyſico-medica 169
XXVI. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763. prodierunt 183
XXVII. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1764. prodierunt 184